ANALECTA ANTIPHONTEA.

ANALECTA ANTIPHONTEA.

SPECIMEN LITERARIUM INAUGURALE

QUOD

ANNUENTE SUMMO NUMINE

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

HENRICI OORT

THEOL. DOCT. IN FACULTATE LITERARUM ET PHILOSOPHIAE PROF.

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS LITERARUM ET PHILOSOPHIAE DECRETO

PRO GRADU DOCTORATUS

SUMMISQUE IN LITERARUM CLASSICARUM DISCIPLINA

HONORIBUS ET PRIVILEGIIS

IN UNIVERSITATE LUGDUNO-BATAVA

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS FACULTATIS EXAMINI SUBMITTET

DIE XXVII M. FEBRUARII A. MDCCCXCII HORA III

IOANNES HENRICUS THEODORUS HEMSTEGE

NATUS MONTE DOMINI.

LUGDUNI-BATAVORUM

APUD E. J. BRILL.

MDCCCXCII.

TYPIS E. J. BRILL.

PARENTIBUS OPTIMIS CARISSIMIS.

Veteri consuetudine receptum est, ut omnes, quibus exoptatissimum absolvendi studia Academica tempus advenit, ea occasione documenta exhibeant et testimonia gratae, qua affecti sunt, mentis erga eos viros, qui studia per securae iuventutis annos in disciplinarum scientiis condita, prudenti suo moderamine rexerunt. Quam consuetudinem secutus, libenter equidem hoc sollemni loco ex intimo animo effundo gratias, quas debeo maximas, viris clarissimis HALBERTSMA, HECKER, BOISSEVAIN, SPEYER, VAN DEN HAM, quibus ducibus semper cum delectatione animi honestarum artium cultui operam navavi. Nec te reticebo, clarissime VAN DER WIJCK, e cuius scholis, vix dici potest, quantam voluptatem semper perceperim.

Utinam in horum virorum numero et te compellare liceret, BAEHRENSI, magister dilectissime! Per quatuor annos, cum mihi, ut te scriptores latinos explicantem audirem, contigit, semper miratus sum tuam interpretandi rationem, quae, mirum quantum, ad amplificandam artium liberalium dignitatem et ad excitandum in discipulorum animis earum studium pertinebat. At subito praeter omnium exspectationem in medio integrae aetatis spatio ab invidis Parcis e vivis ereptus es.

Tuis, familiaribus, discipulis mors tua erat lugubris et luctuosa, toti philologorum generi est irreparabilis iactura. Nam quantum variis et diversis latinae linguae monumentis singulari, qua pollebas scientia et labore profueris, notius est et testatius, quam ut pluribus demonstretur. At in maximam tuam et fructuosissimam industriam transversum incurrit invidum fatum, teque abstulit per iter tenebricosum. Iam ave et vale, pia anima; sit tibi terra felix.

At alterum etiam, priusquam hoc opusculum, qualecumque est, vestro, viri clarissimi, sollemni examini submittam, restat suavissimum mihi et iucundissimum officium. Gratus enim recordor, quanta in hac dissertatione componenda beneficia in me contulerit vir clarissimus VAN LEEUWEN, promotor aestimatissimus, cuius rarae humanitatis et benevolentiae documenta palam facere me vetat singularis eius modestia, quae tamen, quin semper grata mente pro summa, qua me exceperit liberalitate ei quam maxime devinctus sim, prohibere nequit.

Tibi quoque, clarissime et doctissime HARTMAN, summas ago gratias pro liberali, quem in me praestitisti animo, cuius notitiam dolendumst mihi tantum per literas contrahere licuisse.

Atque ita iam vade, mi libelle, non quidem securus, sed tamen, quod viro, in quo summa doctrina cum optimo iudicio coniuncta est, sat placuisti, cum bona spe;

tantum ne noceas, dum vis prodesse, videto!

PRAEFATIO.

Singularem inter oratorum graecorum reliquias locum obtinent Antiphontis Rhamnusii quindecim, qui aetatem tulerunt, *λόγοι δικαστικοί*, quae orationes inter antiquissima atticae eloquentiae monumenta sunt referendae.

Praesertim autem philologorum curas stimulaverunt tres illae tetralogiae, ut vulgo appellantur, quaternas continentes orationes, quarum binae accusatori reoque ita tribuuntur, ut huius defensio semper alterius accusationem, quam refellat, subsequatur. Et revera, si recentioris eloquentiae documenta, *τῶν τεχνῶν ῥητορικῶν* colorem fucatum prae se ferentia, eximes, haud facile huius orationum iudicialium generis exemplum alterum reperies. Cum hoc nos iam aliquantum miros habere possit, multo tamen maioris momenti est, quod oratiunculae illae quadripertitae hic illic longius a recta dictione recedere videntur. Quare, ut patrum iam memoria a multis spuriae habebantur (cf. e. g. Jo. Jonsius „de scriptoribus historiae philosophicae" pag. 325 et contra eum Petr. van Spaan in dissertatione sua historica „de Antiphonte oratore attico" cap. III, inserta ea Reiskii „oratorum graecorum" vol. VII, pag. 795 seqq.), ita nostro quoque tempore tetralogiae admodum bilem movent hominibus philologis, ut aut oratori omnino

attico, aut Antiphonti saltem abiudicentur, cf. H. van Herwerden, Mnemosyne n. s. IX, pag. 203 (cuius scrupulis ad dictionem spectantibus e. g. opponi potest, quod etiam VI § 4 in codicibus legitur forma: *παλαιότατα*, ab Atheniensibus semper spreta; cf. ipsius adnot. Mnem. XI, pag. 221) et Dittenbergerus Hermae XVI, pag. 329. Contra hos autem viros, ut de aliis taceam, rectissime eas oratiunculas Antiphonti vindicavit J. J. Hartmanus „studia Antiphontea" in programmate gymnasii Leidensis 1882, pag. 36—39.

At, ut haec omittamus, magna iam, quae impedit, quominus Antiphontis reliquiae cum delectatione legantur, adest causa. Quamvis enim immensam per haec quatuor decennia viri docti operam navaverint explicandis et emendandis Rhamnusii orationibus, multa tamen *τοῖς ἐπιγόνοις* reliquerunt explananda et corrigenda. Nam miserrime depravatas lectiones duo potissimum — ut de ceteris, quae ex iis originem traxerunt, taceam — nobis tradunt apographa; de quibus iam accuratius dicendum. Quorum prius est

A: codex Crippsianus, membranaceus, qui etiam Burneianus appellatur (95). Hunc codicem, scriptum saeculo XIII, cum ex Batopedio, montis Athonis monasterio, a principe quodam graeco Constantinopolim delatus esset (cf. V. Jernstedtii editionis praefat. pag. XXVII), Jo. Mart. Cripps Britannus emit, emptumque Londinium detulit. Ibi a. 1812 in Car. Burneii bibliothecam pervenit, quae paulo postquam Burneius sub finem a. 1817 morti occubuit, museo Britannico adiuncta est, ubi deinde (Burney 95. plut. CLX. D) asservatur.

Alter codex est

N: Oxoniensis, bombycinus, scriptus saeculo XIV, fortasse ex eodem Athonis monasterio oriundus. Constat hoc apographon a. 1764 in bibliothecam Meermannianam migrasse (cf. Jernstedtii l. l. pag. XXIIII), unde id a Gaisfordio Oxoniam delatum esse, contendit Ed. Maetznerus in editionis suae praefatione pag. XV. Hodie certe ibi exstat in bibliotheca Bodleiana Auctar. T. II, 8.

Oritur hic quaestio, utrum ex his apographis alterutri praestet bonitate. Cod. Oxoniensis, a Maetznero demum ex tenebris protractus, statim, ut fieri fere solet in rebus novis, aemulus exstitit alterius, eo usque ab omnibus probati, codicis Crippsiani. Maetznerus enim, postquam in suae editionis usum hunc codicem excutiendum curavit, tantam eius lectionibus vim attribuit et auctoritatem, ut prae eis libri A lectiones vilipendendas putaret. Neque potuit H. Sauppius, qui in quaestionibus suis Antiphonteis, Gottingae 1861, codici A principatum vindicare studebat, Maetzneri fautores ab eius codice dilectissimo abalienare. Secutus enim est Frid. Blassius, qui non solum in priore, sed etiam in altera, quam curavit, Antiphontis editione, libri N lectiones pro fundamento posuit, cum dudum meliora eum docuisset R. Schoellius: Fleckeiseni annalibus (1871) t. CIII. pag. 297 seqq. Ut ita autem faceret, eo fortasse facilius adductus est, quod isti codici aeque enixo et paene etiam maiore studio patrocinatus erat vir, ceterum egregie de Antiphonte meritus, Vict. Iernstedtium dico, cuius editio paulo ante prodierat Petropoli a. 1880. Hic enim vir clarissimus, cuius diligenti labori accuratissimam debemus utriusque apographi collationem, quam ipse praeiudicata opinione captus egerit,

optime intelliges, si, quae in gratiam codicis N disputat in praefationis pag. XXXV, contuleris cum iis, quae ad derogandam libro A auctoritatem profert pag. XXXVII seq. — Cum igitur quaestio de utriusque libri MS. principatu ita sit comparata, ut unicuique fere, qui, quid opera et labore suo in Antiphontis utilitatem extuderit, prolaturus est, iam opus sit indicato, utro pro fundamento utatur codice, quibusque de causis ita faciat, et nobis in animo est, opusculo nostro pauca de hac quaestione praemittere. Qua autem in re equidem non anxie omnes, quae ad alterutriusque codicis auctoritatem augendam vel deminuendam adferri possint, lectiones congeram, sed, omissis eis, quae in unoquoque libro ms. peccantur, in medium tantum proferam, quae revera faciunt ad constituendam sinceram lectionem. Huc, nisi omnia me fallunt, imprimis referendi sunt loci satis crebri, ubi cod. Oxoniensis omittit ea, quae omitti non volunt, Crippsianus autem rectissime ea suppeditat. Qualia sunt:

Α. *δ*. § 11: *ἀναμιμνήσκων τὴν ποινὴν παραινῶ ὑμῖν μὴ τὸν ἀναίτιον καταλαβόντας τὸν αἴτιον ἀφεῖναι*

Γ. *β*. § 4: *ἔγκλημα*

δ. § 5: *καὶ τῆς ἑαυτοῦ*

V. § 95: *ἀραῖστῶνδετοι* i. e. *ῥᾷστόν δέ τοι*

VI. in argumento: *ἀπολογεῖται δὲ ὁ χορηγὸς ἀρνούμενος τὸν φόνον.*

§ 17: *ἐκέλευσεν, ἐγὼ οὐκ ἀδικῶ· οὐ γὰρ ἐκέλευσα. καὶ εἴ φασιν ἀδικεῖν εἴ τις*

§ 32: *ἠτιῶντο*

Puto et te, benevole lector, his contentum esse nec

poscere, ut plures afferantur lacunae, quales sunt *Γ. α.* § 2: *τήν* et *β.* § 6: *εἶναι*, cett., quales nihil faciunt ad probandam codicis A praestantiam, et in ipso quoque cod. Crippsiano hic illic inveniuntur. Quam maxime vero huc pertinent loci codicis N interpolati, quorum lectiones, ut a cod. A absunt, ita ipsa sententia, ut abiciantur, suadet. Huius generis sunt:

I. § 22: *καὶ ἀνόσια*

Α. α. in argumento: *λόγους* in verbis: *ἐμελέτησε λόγους*

Β. β. § 2: *ὑμῖν*

Γ. γ. § 5: *οὐχ* in verbis: *θαυμάζω ὅτι οὐχ ὑφ' ἡμῶν* cf. infra.

V. § 69: *ὄντες* in verbis: *ἔνδον ὄντες* cf. Cobetus Mnem. VIII pag. 285.

§ 92: *ἐστίν* in verbis: *γνώμης ἐστίν.*

VI. § 13: *τούτων.* de hoc vocabulo, quod A in rasura habet, cf. Hartman. l. l. pag. 26.

§ 26: *πυνθάνεσθαι.* A in rasura habet: *πυνθάνεσθαι καὶ προ.* cf. Herwerd. Mnem. XI pag. 227.

Neque hic omittendas puto eas lectiones, quae etiam in cod. Crippsiano depravatae quidem exstant, sed tamen ita comparatae, ut facili negotio genuina inde archetypi scriptura elici possit. Habent:

I. § 29: N: *οὐδὲν* — A: *οὐδέν-* -Corrigas: *οὐδέν τι.* cf. Cobeti l. l. pag. 278.

Α. β. § 4: N: *δικαίως* — A: *δ' εἰκότως.* Corr. *ἂν εἰκότως* c. Bekkero.

§ 9: N: *ἀπεστερούμην* — A: *ἐστερούμην.* Corr. *ἐστερόμην.* cf. infra.

Γ. α.	§ 6:	N: τὸν γηραιότερον	A: τῶν γεραιρετέρων. Corr. τῶν γεραιτέρων. cf. infra.
V.	§ 14:	N: διδάξει	A: διδάξουσι Corr. διδάσκουσι c. Reiskio cl. VI § 2.
	§ 90:	N: φεισαμένοις	A: ψηφισαμένοις Corr. ἀποψηφισαμένοις. cf. Cobeti l. l. pag. 288.
VI.	§ 23:	N: εἶμι διδόναι	A: εἶεν διδόναι Corr. ἢ ἐκδιδόναι c. Blassio.
	§ 29:	N: παρεσχόμην	A: παρευχόμην Corr. παρειχόμην c. Stephano.

Accedunt iam ei loci, quibus cod. A veras, cod. N autem vitiosas praebet lectiones, ut sequens tabella indicabit.

		N. lectio vitiosa.	A. vera lectio.
I.	§ 3:	ἀλλὰ πολλάκις	ἀλλὰ καὶ πολλάκις.
	§ 7:	ἠθέλησε ποιήσασθαι ἔλεγχον	ἠθέλησεν ἔλεγχον ποιήσασθαι.
	§ 13:	υμεῖς	ὑμεῖς γ' cf. Cobeti l. l. pag. 275.
	§ 17:	τῆς Κλυταιμνήστρας	ταῖς Κλυταιμνήστρας cf. Cobeti l. l. pag. 276.

A. *β.* § 2:	προβέβληκεν	ἐμβέβληκεν, nam loci, quos Blassius in adnot. sua critica affert, nihil ad rem.
B. *γ.* § 5:	ἀκοντίσαντα	ἀποκτείναντα.
Γ. *α.* § 2:	φῦλον	γένος cf. R. Schoell. in Fleck. ann. CIII. pag. 299.
γ. § 2:	ῥώμης	ὥρας.
V. § 71:	ἴσως	ἴσως ἄν cf. Cobeti l. l. pag. 286.
§ 88:	εἵνεκα	ἕνεκα cf. Cobeti l. l. pag. 287.
	τἄλλα ὅσα	τἆλλ' ὁπόσα.
§ 91:	τὸ δὲ ἕτερον καί	τὸ δὲ ἕτερον.
VI. § 28:	καταμαρτυρούντων	μαρτυρούντων.
§ 36:	πρῶτον	μόνον cf. Herwerd. Mnem XI, pag. 229.
§ 40:	ἐπειδὴ ἐπύθετο προειρημένον μοι εἴργεσθαι	ἐπειδή μοι ἐπύθετο προειρημένον εἴργεσθαι.

Scio equidem, fore, qui exclament, me valde inique agere, cum eodem plane modo identidem peccatum sit in cod. Crippsiano. At hoc ipsum est, cur tot locos adscripserim. Nam, cum ea vitia, quae vulgaribus depravationibus debentur, neque quidquam ad codicum praestantiam adferant et facile excusentur, consulto hinc illinc tales congessi locos, e quibus appareret, quantopere nos in difficilioribus adiuvent codicis A lectiones. Si enim talibus eisque haud paucis locis cod.

Crippsiani scriptura tamquam firmissimo fundamento inniti possumus, non decet, hunc librum semper in omnibus postponi codicis N auctoritati. Id igitur censeo: singulis locis non anxie quaerendum esse quid sive A sive N praebeat liber, ut eius lectioni semper cedat id quod alter codex tradit, sed ubivis diligenter potius examinandum esse, quid tota postulet sententia. Licet ergo libris A et N parem fere attribuam auctoritatem, tamen in universum cod. Crippsianum multo fideliorem ducem appellarim. Id enim praeter eos, quos supra laudavi locos, sescenta alia exempla probant et testantur. Parum igitur perspicio, cur sagacissimus Jernstedtius operam quidem dederit, ut antiquissima eloquentiae atticae monumenta in verborum quoque formis, quoad eius fieri posset, suae aetatis speciem recuperarent (cf. praefat. pag. XXXIX), attamen eius codicis auctoritati obtrectet, qui talia saepissime integerrima praebeat. Eiusmodi sunt:

I. § 14: *κἀγαθός.*
A. β. § 12: *τἀναντία.*
I. § 18: *τ᾽ἐποιοῦντο.*
V. § 5: *τὸ δ᾽ἔργον.*
§ 17: *πώποτ᾽ ἐδέθη.*
§ 42: *τοῖς δ᾽ἐπί.*
§ 45: *τά τ᾽ἐν.*
§ 60: *οὐδ᾽ ἐκεῖνον.*
§ 27: *οὔθ᾽αἷμα οὔτ᾽ ἄλλο.*
§ 58: *ἀλλ᾽ οὐδέν.*
Γ. γ. § 1: *τἆλλα.*
V. § 24: *τἆλλ᾽ ἀνήγετο* (*N*: *τἄλλα*).
§ 88: *τἆλλ᾽ ὁπόσα* (*N*: *τἄλλα ὅσα*).

Omnibus his locis cod. Oxoniensis praebet formas male resolutas.

Haec fere erant, quae praemonenda putabam, ne quis forte indignaretur, me abhorrere a ratione, quam editores supra dicti in textu constituendo secuti sunt.

Scribebam Traiecti ad Mosam mense Januario anni MDCCCLXXXXII.

I.

§ 3. *δέομαι δ'ὑμῶν ὦ ἄνδρες, ἐὰν ἀποδείξω ἐξ ἐπιβουλῆς καὶ προβουλῆς τὴν τούτων μητέρα φονέα οὖσαν τοῦ ἡμετέρου πατρός, καὶ μὴ ἅπαξ ἀλλὰ πολλάκις ἤδη ληφθεῖσαν τὸν θάνατον τὸν ἐκείνου ἐπ' αὐτοφώρῳ μηχανωμένην, τιμωρῆσαι πρῶτον μὲν τοῖς νόμοις τοῖς ὑμετέροις* q. s.[1]). In docta sua, quam de Antiphonte conscripsit Herwerdenus disputatione critica, Mnem. IX pag. 201—209, cui, unde ordiretur, elegit nostram paragraphum, vir clarissimus post verba: *ἀλλὰ πολλάκις ἤδη ληφθεῖσαν* transponenda coniecit seqq. *ἐπ'αὐτοφώρῳ*. Et revera, ipsa dicendi ratio: *λαμβάνειν τινὰ ἐπ'αὐτοφώρῳ* tam est vulgaris, ut, si pluribus verbis interpositis eam discerptam videamus, statim ut singula vocabula loco suo restituamus, quam maxime propensi simus. Itaque iam ante Herwerdenum verba *ἐπ' αὐτοφώρῳ* transponi iussit Lehnerus, neque iure eum refellit Maetznerus, qui pag. 129 editionis suae multa exempla ex Antiphontis orationibus congessit ad demonstrandum, verba *ληφθεῖσαν* et *ἐπ'αὐτοφώρῳ* vel sic

1) Multis rebus licet praestantior, multoque ad exercendam artem criticam sit aptior editio, quam curavit Iernstedtius (Petropoli: typis academiae caesareae scientiarum, a. 1880), tamen, veritus, ne in paucorum manibus sit, locos citabo ex editione Blassii, quae prodiit Lipsiae in aedibus Teubneri a. 1881.

bene consociari posse. Nam si id faciemus, duo iam aderunt hyperbata, quae coniuncta orationem nimis, quam ut ferri possit, duram reddant. Hoc, nisi fallor, erat, cur vir doctissimus alteram praeterea suppeditaret explicationis viam, secundum quam inter se potius copulanda essent verba: *τὸν θάνατον τὸν ἐκείνου ἐπ' αὐτοφώρῳ μηχανωμένην*. Et sane, si per se spectantur, explicari fortasse possunt verba; conferas enim ex. gr. Lysiae XIII § 85: *ὁμολογεῖν ἀποκτεῖναι, μὴ ἐπ' αὐτοφώρῳ δέ, καὶ περὶ τούτου διϊσχυρίζεσθαι ὥσπερ εἰ μὴ ἐπ' αὐτοφώρῳ μέν, ἀπέκτεινε δέ, τούτου ἕνεκα δέον αὐτὸν σῴζεσθαι*. Nam si *ἐπ' αὐτοφώρῳ ἀποκτεῖναι* recte dici potuit, fortasse non obstat linguae ratio, quominus verba: *τὸν θάνατον τὸν ἐκείνου ἐπ' αὐτοφώρῳ μηχανωμένην* inter se consocientur. Attamen, ne ista verba hoc modo coniungenda loco suo immota relinquantur, quam maxime resistit totius sententiae indoles. Vix enim, et ne vix quidem credi potest, novercam, cum maritum vita privatura esset, neminem consilium suum celasse, sed palam nihil occultantem egisse. Nam hoc ita factum esse, indicarent verba: *ἐπ' αὐτοφώρῳ μηχανωμένην*. Quantocius igitur divellantur haec vocabula, quae ut transponantur, cum ipsa sententia postulat, tum haud minime suadet locus similis § 9 exstans: *ἃ συνήδει καὶ πρότερον τὴν γυναῖκα ταύτην, μητέρα δὲ τούτων, τῷ πατρὶ τῷ ἡμετέρῳ θάνατον μηχανωμένην φαρμάκοις, καὶ τὸν πατέρα εἰληφότα ἐπ' αὐτοφώρῳ* q. s. Itaque nullus dubito, quin recte egerit Herwerdenus, copulans vocabula: *ἐπ' αὐτοφώρῳ ληφθεῖσαν*, nisi quod equidem, inserta cum cod. A inter verba: *ἀλλὰ πολλάκις* particula *καί*, hoc modo coniungi malim: *ἀλλὰ καὶ*

πολλάκις ἤδη ἐπ' αὐτοφώρῳ ληφθεῖσαν τὸν θάνατον τὸν ἐκείνου μηχανωμένην.

§ 4. *ὑμεῖς γάρ μοι ἀναγκαῖοι. οὓς γὰρ ἐχρῆν τῷ μὲν τεθνεῶτι τιμωροὺς γενέσθαι, ἐμοὶ δὲ βοηθούς, οὗτοι τοῦ μὲν τεθνεῶτος φονῆς γεγένηνται, ἐμοὶ δ' ἀντίδικοι καθεστᾶσι. πρὸς τίνας οὖν ἔλθῃ τις βοηθούς, ἢ ποῖ τὴν καταφυγὴν ποιήσεται ἄλλοθι ἢ πρὸς ὑμᾶς καὶ τὸ δίκαιον;* Fortasse quispiam miratur, verba *πρὸς τίνας οὖν ἔλθῃ τις βοηθούς* adhuc ab editoribus utpote integra relinqui, cum pridem Dobraeus Cobetusque optime et ita, ut unicuique facile persuaderent, demonstrarint, pro *ἔλθῃ* restituendum esse: *ἂν ἔλθοι.* Goelkelius contra in dissertatione sua „Beitraege zur Syntax des Verbums und zur Satzbildung bei dem Redner Antiphon" pag. 9 vulgatam lectionem ita tueri studet, ut admoneat, Coniunctivum Praesentis antiquitus munere functum esse Futuri. At iniuria perhibet, hanc ob rem Futurum Praesentisque Coniunctivum promiscue poni solere. Postquam enim Futurum linguae invectum est, sibique vindicavit, quas antea habuit partes Coniunctivus, ex eo confinia utriusque modi usus interdum quidem incerta difficiliaque constitutu manebant, sed multum abest, ut semper vel hunc vel illum modum pro libito usurpari licuerit. Ita ex. gr. comparatum est, ut in formulis, quales sunt: *τί πάθω, ποῖ τράπωμαι, τί γένωμαι* similia, prima flagitet persona Coniunctivum, ut recte dici possit: *πρὸς τίνας οὖν ἔλθω βοηθούς, ἢ ποῖ τὴν καταφυγὴν ποιήσεταί τις ἄλλοσε ἢ* q. s. Hoc autem modo Futuro consociare Coniunctivum iam non licebit, si verbum, quod Coniunctivo finitum est, secundae aut tertiae est personae, nam hae postu-

lant Optativum cum particula ἄν coniunctum, qua de re conferas Cobeti var. lect. pag. 106. Frustra enim docere crediderim cum Goelkelio etiam Frohbergerum ad Lysiae XXXI § 24, in talibus ferri posse Coniunctivum. Omnes enim loci, qui in eiusmodi interrogationibus secundam aut tertiam personam Coniunctivo coniunctam praebent, vel Optativo sine ἄν particula, cum Cobeto depravati esse statuendi erunt. Facile autem plerumque genuinam lectionem recuperare possumus aut Coniunctivo in Futurum mutando aut addenda Optativo particula ἄν.

Quamvis igitur in universum in talibus sententiis tertia persona necesse sit coniungatur cum Optativo addita particula ἄν, tamen hoc loco prae ceteris caute prudenterque agendum censeo. Nam alia etiam, eaque haud temere spernenda superest ratio, secundum quam Coniunctivus ἔλθῃ iam multo magis placere possit. Quis enim est ἄνθρωπος, qui, quo alio se vertat, nescire dicitur? Nimirum ipse orator. Sed tum voc. τις iam valet: ἐγώ, et ἔλθῃ τις idem est ac ἔλθω, quam formam ex iis, quae supra disputavimus optime se habere vidimus. cf. Sophocl. Aiac. vs. 403: ποῖ τις οὖν φύγῃ; ποῖ μολὼν μενῶ; Equidem igitur sic censeo: aut ita explicandum esse, ut verba πρὸς τίνας οὖν ἔλθῃ τις βοηθούς rhetorice posita sint pro: πρὸς τίνας οὖν ἔλθω βοηθούς, aut probata codicis A lectione: ἔλθοι, addendam esse post voc. τις particulam ἄν.

Ceterum in sequentibus intolerabilem esse formam ἄλλοθι, reponique pro ea debere, quod proposuerit Hertlinius Hermae XII (1877) pag. 182. scil. ἄλλοσε, vix erit quod pluribus moneam.

§ 28. *θαυμάζω δὲ ἔγωγε τῆς τόλμης τοῦ ἀδελφοῦ καὶ τῆς διανοίας, τὸ διομόσασθαι ὑπὲρ τῆς μητρὸς εὖ εἰδέναι μὴ πεποιηκυῖαν ταῦτα.* Valde dubito, num iure viri docti offendant in voce *διανοίας*, pro qua Reiskius, ut *ἀνοίας*, Iernstedtius ut *ἀναιδείας* rescriberetur, auctor exstitit. cf. Iernstedtii „observationes Antiphonteae" tirées du „Journal du ministère de l'instruction publique" Petropoli mense Iulio 1878 pag. 5. seq. [1]) Quid enim impedit, quominus voc. *διανοία* valeat: consilium, dictumque sit de fratris consilio, ut iureiurando confirmet, quae perhibuerit?

At, si hoc forte minus arridet, magisque placet statuere, sub isto verbo aliquid corrupti latere, tum equidem praestare putem, transposita ante *τῆς τόλμης* particula *καί*, audaci manu delere ipsa verba: *τῆς διανοίας*. Facile enim fieri potuit, ut magistellus quidam, ad explicandam hanc particulam *καί* ante *τῆς τόλμης*, suprascriberet: *τῆς διανοίας*, quod recordaretur, oratorem iam § 5. miratum esse *τὴν γνώμην* i. e. *τὴν διανοίαν τοῦ ἀδελφοῦ*. Deinde, quod aliter fieri iam non potuit, verba: *καὶ τῆς διανοίας* post *τοῦ ἀδελφοῦ* collocabantur.

---

1) Hanc occasionem ego praetermittere non possum, quin viro clarissimo, Vict. Iernstedtio, professori Petropolitano, grati animi documentum publice exhibeam. Singulari enim facilitate hic vir clarissimus, precibus meis indulgens, exemplar dissertationis suae, multum laudandae, mihi usui et mancipio misit. Pro qua liberalitate gratias ei ago et habeo quam maximas.

II. *A.*

α. § 8. *σαφῶς δ' ᾔδει ἁλωσόμενος αὐτήν· οὐ γὰρ ἂν τόνδε τὸν ἀγῶνα ἐνόμισεν ἀσφαλέστερον εἶναι.* Equidem Blassii, ante *σαφῶς ᾔδει* inserentis verba: *μὴ δράσας δέ*, coniecturae assentiri non possum. Ex mea saltem opinione haec verba a § 7: *τάδε μὲν δράσας* longiore seiuncta sunt intervallo, quam ut hoc loco tacite suppleri possit: *τάδε δέ* i. e. necem; conferas etiam Schoell. in Fleckeiseni annalibus CIII pag. 304. Nec opus esse tam violenta mutatione locum paulo accuratius reputantibus apparebit. Accusator enim perhibet, non fuisse dubium, quin reus, *συνειδὼς μὲν αὑτῷ τὸ ἀδίκημα, ἔμπειρος δ' ὢν τῆς τούτου δυνάμεως* (cf. § 6), si in iudicium adductus esset, condemnatus fuisset; quare iudicibus persuadere conatur, reum eo consilio caedem cognati sui patrasse, ut hoc facto iudicium effugeret; cf. § 7: *ἤλπιζέ τε τάδε μὲν δράσας καὶ λήσειν ἀποκτείνας αὐτὸν καὶ ἀποφεύξεσθαι τὴν γραφήν· οὐδὲ γὰρ ἐπεξιέναι οὐδένα, ἀλλ' ἐρήμην αὐτὴν ἔσεσθαι.* In hac explicatione, quae, nisi valde fallor, optime se habet, ad verba: *ᾔδει⟨ν⟩ ἁλωσόμενος αὐτήν*, (qua cum dicendi ratione cf. *β.* § 9: *ᾔδη ἐκστησόμενος*) non iam supplendum est: *μὴ ἀποκτείνας αὐτόν*, sed voc. *αὐτήν* i. e. *γραφήν*, praegnanter positum, vertendum est: *iudicio, si revera fieret, certe se sciebat damnatum iri.* Hoc modo interpretanti tantum opus est signo pleniore, post *διαφθαρῆναι* posito, in semicolon mutato.

Ceterum operae pretium duco animadvertere, quam fallaci et captiosa argumentandi ratione orator utatur,

ut reum caedis, crimini datae, convincat. Ut enim stabiliat et corroboret, quae perhibuerat, scil. reum patrasse caedem, et eo quidem consilio patrasse, ne homo ille inimicus causam, quam minaretur, in se intendere posset, docet, — cum nulla tamen, quibus tale quid effici possit, argumenta adferat, — reum antea manifesto scivisse, fore ut causa excideret: nullam enim aliam causam exstitisse, ut maleficium ab eo committeretur. Ecce, futile et utique impudens argumentum.

β. § 9. *ἁλοὺς μὲν γὰρ τὴν γραφὴν τῆς μὲν οὐσίας ἤδη ἐκστησόμενος, τοῦ δὲ σώματος καὶ τῆς πόλεως οὐκ ἀπεστερούμην, περιγενόμενος δὲ καὶ λειφθείς, κἂν ἔρανον παρὰ τῶν φίλων συλλέξας, οὐκ ἂν εἰς τὰ ἔσχατα κακὰ ἦλθον·* Sententia hoc loco non flagitat notionem „non privabar", quae inest codicis N lectioni: *οὐκ ἀπεστερούμην*, sed, si quid sentio, opus est notione „non privatus eram" i. e. *οὐκ ἐστερόμην*. Hoc autem iam facillime elici posse ex lectione codicis A: *ἐστερούμην*, cum in libris mss. *O* et 8 sescenties inter se confusae sint, vix est, quod pluribus demonstrem; cf. e. g. *I* § 5, ubi N pr. A pr. *προβολῆς* praebent pro eo, quod oratoris est: *προβουλῆς*.

§ 13. *εἰ δὲ ὑπὸ ζῶντος ἐδιωκόμην, οὐκ ἂν μόνον ὑπὲρ ἐμαυτοῦ ἀπελογούμην, ἀλλ' αὐτόν τε τοῦτον καὶ τοὺς τούτῳ μὲν <οὐ> βοηθοῦντας, παρ' ἐμοῦ δὲ ὠφελεῖσθαι ζητοῦντας ἐφ' οἷς κατηγορεῖτέ μου, ἐπέδειξα ἂν...... ἀδικοῦντας.* Si ab illo accusatus essem, non modo ipsum accusatorem mihi iniuriam facere ostendissem, sed etiam subscriptores, qui partem accusationis ideo susceperunt, quod sperabant, fore, ut inde aliquid in se lucri redun-

daret. Sunt igitur homines deperditi, infimae notae, qui specie ultionis nihil aliud agunt, quam ut per scelus pecuniam sibi comparent. At id ipsum, scil. eos specie tantum *τῷ διώκοντι βοηθεῖν*, cum revera longe aliud quid moliantur, multo accuratius exprimendum erat, quam fit per simplex *βοηθοῦντας*. Blassius, qui hoc intellexit, sententiae satisfactum esse arbitrabatur, inserta negatione *οὐ*, quod, num feliciter coniecerit, equidem valde dubito. Nam perhibere, accusatorem a subscriptoribus omnino non sublevari, nimium est, neque id a reo perhibitum puto. Ego igitur auctor potius exstiterim lectionis: *βοηθ<εῖν δοκ>οῦντας*: sunt homines nefarii et scelesti, qui accusatoris partes se sustinere simulant, ut occisum ulciscantur, reipsa autem, ut crumenae suae consulant.

In sequentibus recte Kayserus Mus. Rhen. XII, pag. 238 pro codicum lectione: *κατηγορεῖτέ μου* restituit: *κατηγορεῖτό μου*, quod, cur Blassius in textum non receperit, haud magis intellego, quam quo iure ante voc. *ἀδικοῦντας* quiddam excidisse statuerit. Conferas de altera hac quaestione etiam Schoell. Fleckeiseni annalibus CIII, pag. 303.

γ. § 2. Accusator, cum hoc loco omnia reo intercludat refugia, ne commissum scelus ad alios referat, addit: *εἴτε ἄλλοι τινὲς ἕτερόν τι τοιοῦτον κακουργοῦντες ὀφθέντες ὑπ' αὐτῶν, ἵνα μὴ γνωσθῶσι διέφθειραν αὐτούς, ἅμα τῷ τούτων φόνῳ τὸ κακοῦργημα ἂν ἐκηρύσσετο καὶ εἰς τούτους ἂν ἡ ὑποψία ἧκεν* i. e. neque hac reus dicendi ratione uti potest, ut perhibeat, homines perditos in scelere quodam nefario occupatos aspectos esse ab illo, domum a cena redeunte, et, ne

cognoscerentur, eum occidisse. Nam tum postridie a praecone utrumque scelus, et interfecti viri innocentis et illud, quod tum committebatur, toti urbi palam factum esset. At videamus, quo nomine appellet orator illos nefarios et scelestos. Nimirum: *ἄλλοι τινὲς ἕτερόν τι τοιοῦτον κακουργοῦντες*, in quibus verbis voc. *κακουργοῦντες* indicat, id, quod illi *ἄλλοι τινές* facerent, maleficium esse. Hac notione sola h. l. opus est, ita ut additum illud *τοιοῦτον* abesse possit; quod tamen delendum esse contendere non ausim. Nam talis est graeci sermonis condicio, ut notio, quae cum vi efferenda est, non uno tantum vocabulo reddatur, sed tam alte etiam vicina verba penetret, ut pro eo, quod exspectamus, vocabulo, eligatur aliud, quod notionem illam et ipsum iam prae se ferat. Hoc animadvertendum putavi, ne quis locum ad verbum vertens et adiectivum *τοιοῦτον* nimis urgens, ita explicaret, ut diceret: sceleratos illos conspectos esse in alio et quidem simili facinore perpetrando, sc. in necando homine. Nam si hac ratione explicaremus, iam porro quaeri liceret, quomodo scire potuerit, illos homines patrasse necem. At, quamvis hoc voc. *τοιοῦτον* haudquaquam delendum putaverim, tamen mirum est, quod omittitur simili loco, sc. huius tetralogiae *β*. § 6, ubi legimus: *εἰ δὲ μὴ καὶ ἐπὶ τοῖς ἱματίοις διεφθάρη, ἀλλ' ἑτέρους ἰδὼν ἄλλο τι κακὸν ποιοῦντας, ἵνα μὴ μηνυτὴς τοῦ ἀδικήματος γένηται, ἀπέθανεν ὑπ' αὐτῶν, τίς οἶδε*;

Ceterum hic locus afferri possit ad stabiliendum, quod mihi agnoscere videor, Graecos interdum promiscue adhibuisse Imperfectum et Aoristum. Cum enim exspectemus usurpatam esse ad indicandum temporis

praeteriti modum antirealem, formam in talibus tritam, scil. aoristam: *ἂν ἐκηρύχθη*, tamen nulla, ne ita scriberetur causa prohibente, adhibita est Imperfecti: *ἂν ἐκηρύσσετο.*

§ 3. *οἵ τε ἧσσον κινδυνεύοντες τῶν μᾶλλον ἐν φόβῳ ὄντων οὐκ οἶδ' ὅπως ἂν μᾶλλον ἐπεβούλευσαν αὐτῷ· τοὺς μὲν γὰρ ὅ τε φόβος ἥ τε ἀδικία ἱκανὴ ἦν παῦσαι τῆς προμηθίας, τοῖς δὲ ὅ τε κίνδυνος ἥ τε αἰσχύνη μείζων οὖσα τῆς διαφορᾶς, εἰ καὶ διενοήθησαν ταῦτα πρᾶξαι, ἀρκοῦσα ἦν σωφρονίσαι τὸ θυμούμενον τῆς γνώμης.* Mirum exercendae artis criticae exemplum Goelkelius h. l. exhibuit. Libere enim vir doctissimus perhibet, quasi unusquisque consensurus sit, verba *φόβος* et *κίνδυνος* inter se opposita esse; item verbo *ἀδικία* indicari iniuriam, quam *οἱ ἧσσον κινδυνεύοντες* facturi sint, vocem *αἰσχύνη* autem idem esse ac *αἰσχύνη ἐπὶ τοῖς γεγενημένοις*, quo significetur dedecus, quod reo adhaereat ob perditas, quas antea cum adversario egisset, causas. Hac disserendi ratione, tamquam firmo fundamento insistens, vir doctus conicit, ante voc. *ἀρκοῦσα* inserendam esse part. *οὐκ*, et, mutato voc. *διαφορᾶς* in *διανοίας*, verba: *εἰ καὶ διενοήθησαν ταῦτα πρᾶξαι* tamquam glossema delenda esse. Ego vero — ut uno tantum verbo hanc coniecturam dimittam, — non assequor, quomodo Goelkelius tam audacem, nullo argumento fretam, opinionem in medium proferre ausus sit.

At iam videamus, quomodo satis commodam sententiam eruere possimus. — Varia igitur, quae reus, ut criminis absolveretur, in medium protulerat, redarguens, orator nostro loco id refutare studet argumentum, quod accusatus proposuit orationis suae § § 5 et 6,

scil. vero haud dissimile esse, latrones caedem commisisse aut alios quosdam homines sceleratos, qui, cum a domino et servo domum revertentibus in maleficio occupati conspecti essent, veriti, ne per eos proderentur, utrumque trucidasse finguntur. At, inquit accusator, si tale quid accidisset, postridie una cum horum caede etiam maleficium istud innotuisset. Neque iure perhibet reus, omnibus persuasum fuisse, statim in ipsum, utpote qui hominem interemtum odisset, omnem redundaturam esse suspicionem. Nemo enim fere est, qui putet, eos, quibus minus impendeat periculum, aeque facile ac quibus graviora instent, ad insidias parandas accedere. Nam eis (i. e. ignotis illis, sive latrones fuerunt, sive ei, qui in maleficio occupati conspecti erant,) pavor et pravum ingenium apta erant, quae mentis admonitionem (i. e. *προμηθίαν*) reprimerent, isti autem (i. e. reo) periculum et officium, quae maiorem in eum necesse erat vim haberent, quam causa imminens, etiamsi pectoris furor eum iam in consilium caedis rapuisset, tamen idonea erant, ut animi impetum compescerent.

Hanc sententiam orator in duo ita divisit cola, ut chiasmum, qui vocatur, admittens, in posteriore membro, quod ad *τοὺς ἧσσον κινδυνεύοντας* pertinet, demonstret. At tali explicationi, quam unice iustam esse, mihi quam persuasissimum habeo, ipsa tradita lectio maxime officit. Ex omnibus autem conaminibus, quae viri docti ad difficultatem tollendam protulerunt, nihil mihi magis placet, quam quod Bekkerus pro codicum *προθυμία* restituit, scil. *προμηθία*. Haec enim coniectura et optime in rem quadrat et facili negotio e codicum scriptura elicitur. Quae cum ita sint, iam corruunt

coniecturae, quales sunt Maetzneri, (qui praeeunte Reiskio ante *ἱκανῇ* inserit negationem *οὐχ*) Spengelii, (qui Muenchener Gel. Anz. 1838, pag. 347 proponit <*μὴ*> *παῦσαι*, qua de re conferas Kayser. Mus. Rhen. XII, pag. 234) Linderi, (qui in dissertatione sua „de rerum dispositione apud Ant. et And. oratores Atticos commentatio" e codicum *παῦσαι* speciose certe eruit: *πλῆσαι*, quae tamen coniectura praeter alia — cf. Kayser l. l. XVI, pag. 72 — etiam id habet sublesti, quod Attici scriptores potius utuntur forma verbi compositi: *ἐμπλῆσαι*).

§ 5. *οὐδὲ μὴν ἀπογενέσθαι ἢ παραγενέσθαι εἰκότερον αὐτόν ἐστιν. εἰ γὰρ ἀπεγένετο, τὸν μὲν κίνδυνον τὸν αὐτὸν ἔμελλε καὶ παρὼν κινδυνεύειν, πᾶς γὰρ αὐτῶν ληφθεὶς τοῦτον ἂν τὸν ἐπιβουλεύσαντα ἤλεγχεν ὄντα, τὸ δ' ἔργον ἧσσον πράσσειν· οὐδεὶς γὰρ ὅστις τῶν παρόντων οὐκ ἂν ὀκνηρότερος εἰς τὴν πρᾶξιν ἦν.* Iste si afuisset, unusquisque eorum, qui aderant, si comprehensus esset, dixisset, istum esse, qui insidias pararet, quo etiam accedit, quod segniores fuissent ad facinus committendum. Ex ipsa oppositione apparet, verba *αὐτῶν* et *τῶν παρόντων* sedem commutasse. Sciolus quidam supra *τῶν παρόντων* scripsit: *αὐτῶν*, itemque supra *αὐτῶν*: *τῶν παρόντων*, ut indicaret, haec verba inter se respondere. Hac re etiam factum puto, ut absorberetur pron. *τις*, quod Hirschigius, collata § 7, post *πᾶς γάρ* rectissime restituit. Quod enim passim locum habuit etiam hic factum est, ut oculi librarii ad recipiendum suprascriptum illud *αὐτῶν*, prius, quam par erat, a lineola deflecterent, quo pron. *τις* una cum: *τῶν παρόντων* omittebatur.

δ. § 7. Reus, qui in sequentibus, quaecumque accu-

sator ei crimini dederat, aut omnino contra eum protulerat, diluere studet, hac pericope demonstrandum sibi sumit, servi esse testimonium eis postponendum, quorum auctor esset homo ingenuus. Verba, quibus ad hanc rem eum usum esse codices tradunt, sunt haec: *τοῦ δὲ θεράποντος πῶς χρὴ πιστοτέραν τὴν μαρτυρίαν ἢ τῶν ἐλευθέρων ἡγεῖσθαι; οἱ μὲν γὰρ ἀτιμοῦνταί τε καὶ χρήμασι ζημιοῦνται, ἐὰν μὴ τἀληθῆ δοκῶσι μαρτυρῆσαι· ὁ δὲ οὐκ ἔλεγχον παρασχὼν οὐδὲ βάσανον ποῦ δίκην δώσει; ἢ τίς ἔλεγχος ἔσται; ἀκινδύνως δὲ μέλλων μαρτυρεῖν* q. s. Commemoratis igitur poenis, quae viro ingenuo, si falsum exhibuisset testimonium, subeundae essent, oratori ostendendum est, tales poenas non timendas fuisse servo. Talem enim oppositionem inter duo, de quibus loquimur, membra adesse debere, iam affatim indicat utriusque coli initium: *οἱ μέν* et *ὁ δέ*. Ab hac autem explicandi ratione abhorrere videmus verba, quae tradita codicum lectio reo attribuit. Nam in verbis: *ποῦ* (N: *τι οὐ*. rell. *οὐ*) *δίκην δώσει*, forma temporis futuri: *δώσει* non recte se habet de servo, qui mortem iam obiit, ut colligimus ex *α*. § 4: *οὐ γὰρ ἂν σὺν τῷ ἀκολούθῳ διέφθειρεν αὐτόν*. § 9: *ἔμπνους γὰρ ἔτι ἀρθείς*. *γ*. § 2: *οἱ ἀποκτείναντες αὐτούς, τόν γε θεράποντα ἔτι ἔμφρονα εὑρόντες. εἴτε ἄλλοι διέφθειραν αὐτούς. ἅμα τῷ τούτων φόνῳ*. *δ*. § 4: *τοὺς διαφθείραντας αὐτούς*. § 5: *νεκροῖς ἀσπαίρουσι συντυχόντα. οἱ μὲν ἐπὶ τοῖς ἱματίοις διαφθείραντες αὐτούς*. Dicendum potius erat, eum tum temporis, cum caedebatur, poenas non daturum fuisse pro falso, si dixisset, testimonio. Ad hanc difficultatem etiam accedit, quod lectio, quam editiones praebent, duas continet Reiskii coniec-

turas, scil. *ποῦ* pro codicum: (*τι*) *οὐ* et *ἢ τίς* pro *εἴ τις*. His causis adducor, ut credam, graviorem h. l. latere corruptelam. Licet autem probabilis coniectura mihi non in mentem veniat, tamen indicabo, quid fere h. l. exspectaverim, scil.: *ὁ δὲ οὐκ ἔλεγχον παρασχὼν οὐδὲ βάσανον, οὐ δίκην δώσει*(= ν) *<ἔμελλ>εν <ἢ ἄ>πισ<τος> ἐλεγχθήσεσθαι*; sciebat enim, se moriturum. Ita demum iustus paratur transitus ad sequentia, ubi verba: *ἀκινδύνως δὲ μέλλων μαρτυρεῖν* cum emphasi repetunt sententiam, qua cumulantur antecedentia. Servus ergo, mortis instantis sibi conscius, etiam optime sciebat, se non excruciatum iri tormentis, neque falsi testimonii convictum iri, neque igitur poenas, quas si convictus esset, soluturus fuisset, soluturum.

§ 8. *ὁπόσοι γάρ δοῦλοί μοι ἢ δοῦλαί εἰσι, πάντας παραδίδωμι βασανίσαι· καὶ ἐὰν μὴ φανῶ ταύτῃ τῇ νυκτὶ ἐν οἴκῳ καθεύδων ἢ ἐξελθών ποι, ὁμολογῶ φονεὺς εἶναι.* His verbis reum, si totam huius, quam defensionis causa habet, orationis naturam paulo accuratius contemplamur, dicere exspectamus, se libenter caedi se adfinem esse fateri, si damnosa illa nocte per quodcumque, vel minimum temporis spatium domi suae non fuisse convincatur. At talis interpretatio ex ipsis, quae traduntur, verbis erui non ita facile potest. Sat mire autem codicum lectio reum vociferantem facit: se non infitiaturum, sceleri se obnoxium esse, si non apparuerit, illa nocte se domi somnum cepisse. Nam, etiamsi testimoniis invictis, id ita esse demonstrasset, tamen hoc nullo modo in rem suam vertere potuisset. Fieri enim potuit, ut, postquam priorem noctis partem domi suae degisset, (nam dormiendi notionem non nimis ur-

gendam esse, statim videbimus) scelestum et nefarium illud facinus perpetraret et deinde iterum domi suae cubitum iret. Unusquisque facile concedet, reum a verbis: *καὶ ἐὰν μὴ φανῶ ἐν οἴκῳ καθεύδων* incipientem, non pergere oportere per: *ταύτῃ τῇ νυκτί*, sed per, quod unum recte se habet: *ταύτην τὴν νύκτα* i. e. per totam noctem. Ita semper accusativus temporis spatium indicat; conferas, ut tantum ex atticae orationis scriptoribus maxime probatis exempla petam, Aristophanis nub. vs. 36: *στρέφει τὴν νύχθ' ὅλην*, et Platonis sympos. 219 c.: *κατεκείμην τὴν νύκτα ὅλην*, ubi additum est voc. *ὅλην*, ut vis, quae accusativo inest, etiam magis intendatur. Hoc modo scripta, prior igitur pars verborum iam recte se habebit; at, ecce iam nova, quae orta est difficultas. Quomodo enim rei *δοῦλοι* et *δοῦλαι* scire et probare potuerunt, dominum per totam noctem domi fuisse? Hoc puto non tam facile ad demonstrandum fuisse, nisi forte adferre volumus argumentum quoddam, quod certum quidem esse potuit, sed tamen omnium maxime reiciendum est. Ob has duas difficultates alia ego ratione loco, manifesto depravato, opitulandum puto. Ubi enim in uno eodemque brevi verborum complexu duo vel etiam plura vitia exstant, ante omnia lex, in exercenda arte critica semper observanda, investigari iubet, num forte communis vitiorum adsit origo. Inde proficiscenti tota mihi videtur depravatio inde orta esse, quod particula *μή* sua sede depulsa et alieno loco inserta sit. cf. *β.* § 6. Ita equidem, traducta tantum part. *μή* legerim: *καὶ ἐὰν φανῶ ταύτῃ τῇ νυκτὶ μὴ ἐν οἴκῳ καθεύδων* q. s., qua transpositione et recte se habet dandi

casus: *ταύτῃ τῇ νυκτὶ* et altera difficultas iam evanuit. Ceterum voc. *καθεύδων* ex mea saltem opinione h. l. paulo tantum plus valet, quam simplex voc. *ὤν*, quia Graeci recepto more pro verbo latioris sensus, si vim, quae ei verbo inest, efferre volunt, id ponunt vocabulum, quod magis in rei, de qua sermo est, statum et condicionem convenit. Ita pro *ἐν οἴκῳ εἶναι* dictum est: *ἐν οἴκῳ καθεύδειν*, quia, si nocte *ἐν οἴκῳ* sumus, dormire solemus. Praeterea autem hoc dormiendi vocabulum indicat, reum placido animo fuisse, non ut ii, qui post scelus commissum furiarum taedis ardentibus agitati somnum capere non possunt. Ceterum conferas Lysiae IX § 10: *εἰ γὰρ φανερός εἰμι μὴ ἐλθὼν εἰς τὸ ξυνέδριον, ὁ δὲ νόμος τοὺς ἐντὸς πλημμελοῦντας ἀγορεύει τὴν ζημίαν ὀφείλειν, ἠδικηκὼς μὲν οὐδὲν φαίνομαι, ἔχθρᾳ δ' ἄνευ τούτου παραλόγως ζημιωθείς.*

Verbo tantum monendum est, certam esse Reiskii emendationem, pro codicum: *που* restituentis: *ποι*. Talia enim in libris MSS. sescenties confunduntur, (cf. e. g. I. § 5: *ἄλλοθι* pro: *ἄλλοσε*), quidque scribendum sit, saepius nostro arbitrio quam codicum consensu pendet.

§ 10. *ἐκ δὲ τῶν εἰκότων προςποιούμενοί με ἐλέγχειν, οὐκ εἰκότως ἀλλ' ὄντως φονέα μέ φασι τοῦ ἀνδρὸς εἶναι, τὰ δὲ εἰκότα ἄλλα πρὸς ἐμοῦ μᾶλλον ἀποδέδεικται ὄντα.* Ipsa, reus inquit, qua me sceleris convicisse aiunt, probabilitas pro me potius militat. Hoc autem modo explicantem offendit voc. *ἄλλα*, cui, quo pacto iustam interpretationem adaptem, frustra quaero. Nam explicationem, quam Maetznerus suppeditat: „argumenta autem a probabilitate petita longe alia esse sive aliam vim habere atque a meis potius partibus stare evici,"

hanc nterpretationem viro doctissimo indignam esse, nemo non intellegit. Ita viri docti, hoc spreto, varia iam ad difficultatem summovendam proposuerunt, e quibus, quod Spengelius Mus. Rhen. XVII pag. 169. coniecit: *τά δέ τ'εἰκότα τά τ'ἄλλα*, idcirco iam repudiandum puto, quod sic nimis languida fieret rei oratio. Bohlmannus autem, qui „Antiphontea" pag. 12 seq. lacunam statuendam existimat, quam explet scribendo: *τὰ δ'εἰκότα* <*οὐ πρὸς τούτων*> *ἀλλὰ πρὸς ἐμοῦ μᾶλλον ἀποδέδεικται ὄντα*, orationem onerat additamento tam inutili quam falso. Nam oppositum verborum: *πρὸς ἐμοῦ* non est: *πρὸς τούτων*, sed potius: *κατ' ἐμοῦ*. Magis mihi placet Sauppii ratio, qui vocis *ἄλλα* nihil nisi accentum mutans, post *τὰ δ'εἰκότα* figuram, quam grammatici dicunt *ἀποσιώπησιν* adesse statuit, ita, ut reus, quasi indignabundus dicat: quod attinet ad probabilitatem — sed taceo potius de hac re, nam satis superque iam demonstravi, hanc quoque a meis partibus stare. Attamen ne haec quidem coniectura ab omni parte satisfacit. Nam hoc loco, ubi priori accusatoris crimine dissoluto, alterum iam diluendum aggreditur reus, eodem, quo antea usus erat tenore pergendum est, ita ut nullus adsit locus ei *τῆς διανοίας σχήματι*, quod tantum ex animi indignabundi incitatione, quae hinc aliena est, prodire potest. Praeterea haec coniectura artum, quem requirimus conexum cum proxime praecedentibus dirimit. Neque Schoellium pro *ἀλλ'* restituentem *ἅπαντα* facile probaverim, nam cum parum perspicimus, quomodo haec vocabula inter se mutari potuerint, tum ea coniectura non ex omni parte rem tangit. Quid totus locus flagitet, videmus ex ipso, quem

iam verbo attigi, sententiarum conexu. Quamquam dicunt, sese e vero simili convincere, me sceleri obnoxium esse, tamen non perhibent vero simile, sed certum esse, me facinus commisisse. Neque aliter me possunt convincere, nam ipsa probabilitas me non condemnat, sed absolvit. Quam bene in hanc, quam mihi reperire videor oppositionem quadrent seqq.: *ὅ τε γὰρ καταμαρτυρῶν μου ἄπιστος ἐλήλεγκται ὤν* q. s. non est, quod pluribus dicam. Facile hinc intellegitur, nihil aliud exspectari, nisi: probabilitas ipsa, i. e. *τὰ δ' εἰκότα αὐτά.*

Ibidem: ὅ τε γὰρ καταμαρτυρῶν μου ἄπιστος ἐλήλεγκται ὤν, ὅ τε ἔλεγχος οὐκ ἔστι· τά τε τεκμήρια ἐμά, οὐ τούτων ὄντα ἐδήλωσα· τά τε ἴχνη τοῦ φόνου οὐκ εἰς ἐμὲ φέροντα ἀλλ' εἰς τοὺς ἀπολυομένους ἀποδέδεικται ὑπ' αὐτῶν. Schoellius et Iernstedtius recte transposuerunt vocabula: *ὑπ' αὐτῶν* ante verbum *ἀποδέδεικται*, quod a sententia quidem pertinent ad *ἀπολυομένους*, coniungi autem non possunt nisi cum *ἀποδέδεικται.* Si autem transpositio devitari non potest, equidem his verbis potius locum tribuerim inter *τούς* et *ἀπολυομένους*. Sed tamen puto multo praestare, ipsum voc. *ἀποδέδεικται*, utpote ab interpolatore quodam ex antecedentibus insertum, e textu removere, quo facto, nulla iam amplius opus erit transpositione.

III. *B.*

β. § 5. *ὁ δὲ παῖς εἴπερ ἑστὼς φανερὸς ὑμῖν ἐστὶ μὴ βληθείς, ἑκουσίως <δ'>ὑπὸ τὴν φορὰν τοῦ ἀκοντίου ὑπελθών, ἔτι σαφεστέρως δηλοῦται διὰ τὴν αὑτοῦ ἁμαρτίαν ἀποθανών· οὐ γὰρ ἂν ἐβλήθη ἀτρεμίζων καὶ μὴ διατρέχων.* Cum verborum: *ὁ δὲ παῖς — βληθείς* sententia non iudicibus solis manifesta sit, sed potius inter omnes, ne adversario quidem excepto, de ea, utpote nulli omnino dubio obnoxia, constare praedicandum sit, iure Iernstedtio „observat. Antiph." ad II. *γ.* § 7 pag. 10, scrupulum iniecisse censeo pronomen *ὑμῖν*. Aegre autem inter cola: *ἑστὼς φανερός ἐστι μὴ βληθείς* et *ἑκουσίως ὑπὸ τὴν φορὰν τοῦ ἀκοντίου ὑπελθών* desideratur oppositio; sententiae claudicanti Blassius hactenus opitulatus est, ut post *ἑκουσίως* insereret particulam *δ'*. Ego vero, qui simplicem huiusmodi oppositionem, per solam particulam *δ'* indicatam, pro loci natura nimis infirmam putem, eam potius voculam, quae maxime desideratur, *μέν*, ita restituerim, ut simul molestum illud *ὑμῖν* amoveatur. Suspicor igitur, particulam *μέν*, semel omissam, aut in margine aut supra voc. *φανερός* adscriptam esse, hinc in textum receptam esse post *φανερός*, alieno loco, et tunc in *ὑμῖν* abiisse; quo facto etiam altera particula *δέ* evanuit. Itaque utriusque viri doctissimi explicationi me satisfacere puto legendo: *ὁ δὲ παῖς εἴπερ ἑστὼς μὲν φανερός ἐστι μὴ βληθείς, ἑκουσίως <δ'>* q. s.

§ 9. *ἀπολύει δὲ καὶ ὁ νόμος ἡμᾶς, ᾧ πιστεύων εἴργοντι μήτε ἀδίκως μήτε δικαίως ἀποκτείνειν, ὡς φονέα με διώκει.* Quo diutius hunc locum accurata mente per-

pendo, ut, quae tolerari saltem possit, sententiam eruam, eo magis me opprimunt singulae difficultates. In quibus diluendis cum malus me frustratus sit eventus, tandem aliquando spe deiectus destiti, persuadens mihi, locum non talem, qualem nunc habeamus, ab oratore proficisci potuisse. Reus enim, ut iam ab initio incipiam, perhibet, sese non obnoxium esse legi, cuius interdicto, *ne quis quemquam nec iure nec iniuria interficiat*, fretum, accusatorem se in ius rapuisse contendit. Deinde autem hoc ita demonstrat, — nam iis, quae sequantur hanc explicatum iri sententiam, satis indicat part. *γάρ* — ut sese *tam voluntariae quam invite commissae caedis crimine absolvi perhibeat.* Cum huc accedat, quod in ea, quam fecit accusator oratione, nullum inveniatur verbum de iure vel iniuria, qua quis caedem patrare possit, neque ex altera parte exspectari possit, legem, omnium iustarum actionum tutricem, *τὸ δικαίως ἀποκτείνειν* vetare, vix a me impetrare possum, ut verba in hoc saltem connexu ab oratore profecta statuam. Cum omnia igitur codicum lectionem refutent, ego iam non cunctarer, audaci manu reponere id, quod cl. *δ* § 8, statim unicuique, utpote huic loco per se spectato bene conveniens, in mentem venit, scil.: *μήτε ἑκουσίως μήτε ἀκουσίως*, nisi, ut prudenter cauteque agamus, monerent verba accusatoris § 7: *ὃς ἀπαγορεύει μήτε δικαίως μήτε ἀδίκως ἀποκτείνειν.* Quoniam igitur verba, quae et nostro et sequentis oratiunculae loco laudato offensionis plena sunt, non temere coniectura removenda esse, apparet, haud scio, an suspicari liceat, obscuratam esse, vel potius excidisse subtilem argumentationem, qua legem in se non quadrare, demon-

straverit reus, cum praesertim ex sequentibus satis appareat, quanta tribuatur legi, de qua sermo est, vis et auctoritas. Ceterum me, talia de nostro loco praedicantem, veram lectionem indagari posse, desperare, vix est, quod pluribus dicam.

§ § 10—12. *ἀπολυόμενος δὲ ὑπό τε τῆς ἀληθείας τῶν πραχθέντων ὑπό τε τοῦ νόμου καθ' ὃν διώκεται, οὐδὲ τῶν ἐπιτηδευμάτων εἵνεκα δίκαιοι τοιούτων κακῶν ἀξιοῦσθαί ἐσμεν. οὗτός τε γὰρ ἀνόσια πείσεται τὰς οὐ προσηκούσας φέρων ἁμαρτίας, ἐγώ τε μᾶλλον μὲν οὐδέν, ὁμοίως δὲ τούτῳ ἀναμάρτητος ὤν, εἰς πολλαπλασίους τούτου συμφορὰς ἥξω· ἐπί τε γὰρ τῇ τούτου διαφθορᾷ ἀβίωτον τὸ λειπόμενον τοῦ βίου διάξω, ἐπί τε τῇ ἐμαυτοῦ ἀπαιδίᾳ ζῶν ἔτι κατορυχθήσομαι.*

Ἐλεοῦντες οὖν τοῦδε μὲν τοῦ νηπίου τὴν ἀναμάρτητον συμφοράν, ἐμοῦ δὲ τοῦ γηραιοῦ καὶ ἀθλίου τὴν ἀπροσδόκητον κακοπάθειαν, μὴ καταψηφισάμενοι δυσμόρους ἡμᾶς καταστήσητε, ἀλλ' ἀπολύοντες εὐσεβεῖτε. ὅ τε γὰρ ἁμαρτὼν συμφοραῖς περιπεσὼν οὐκ ἀτιμώρητός ἐστιν, ἡμεῖς τε οὐ δίκαιοι τὰς τούτων ἁμαρτίας συμφέρειν ἐσμέν. τήν τε οὖν εὐσέβειαν τούτων τῶν πραχθέντων καὶ τὸ δίκαιον αἰδούμενοι ὁσίως καὶ δικαίως ἀπολύετε ἡμᾶς, καὶ μὴ ἀθλιωτάτω δύο πατέρα καὶ παῖδα ἀώροις συμφοραῖς περιβάλητε. Cum Reiskius sine iusta causa, miro, qui videtur, a singulari ad pluralem numerum transitu offensus primum § 10 verbum in *ἀπολυόμενοι* mutandum censeat, valde miror, neque eum, neque quemquam editorum notavisse malum, quo sententiae suprascriptae inter se cohaerent, conexum. Nam, cum rei pater verbis, quae supra fecit, iam sat superque demonstraverit, filium suum tam lege, qua nitatur

accusator, quam rei veritate caedis crimine absolvi, restat tantum voc. ἐπιτηδευμάτων, quod accuratius explicari necesse quidem non est, at certe solum est vocabulum, cuius explicatio apte subiungi possit. Utique nos cogit part. γάρ, a qua sequens incipit sententia, ut putemus, ea, quae subiciuntur, iis, quae praegressa sunt, explicationis gratia addi. Qua tamen exspectatione nos deici, quivis videt. Revertamur igitur ad ea, quae certa sunt, nullique difficultati obnoxia et deinde videamus, quomodo recuperare possimus, quae ut exspectemus, totus sententiarum connexus monet. Simplex narratio hanc fere progressionem flagitat, ut rei pater huiusmodi verba faciat: Cum filius tam lege, quam rei veritate omni culpa absolutus sit, nec propter ea, in quibus occupati aetatem hucusque agebamus, digni simus, qui tam gravibus obruamur calamitatibus, nolite nos ambo iniqua condemnatione pessumdare. Hanc, quae loco unice apta est, sententiam facile assequimur, cum ea, quae § 12 leguntur, post verba: κακῶν ἀξιοῦσθαί ἐσμεν inserimus. Quo vero loco nunc leguntur haec verba, ibi sine offensione tolerari non possunt, cum ab iis, quorum sententiam repetunt, secernantur paucis tantum illis interpositis: ὅ τε γὰρ ἁμαρτὼν συμφοραῖς cett. Nam verba, quibus § 11 iudices orat et obsecrat, ne filium condemnent, scil. μὴ καταψηφισάμενοι δυσμόρους ἡμᾶς καταστήσητε ἀλλ' ἀπολύοντες εὐσεβεῖτε, eandem plane prae se ferunt sententiam, ac preces, quas § 14 effundit ad iudices, ut filium iuste pieque absolvant. Insertis igitur in § 10, quae hucusque sub finem oratiunculae legebantur, utraque, qua offendebamur difficultas evanuit. Recte enim nunc iam procedit oratio,

cum verba inserta alterum praegredientium efficiant membrum, quaeque ex priore consequantur, indicent. Nec particula *γάρ* hoc modo nativa sua vi caret, cum sententia, quam instituit, stabiliat et certa atque firma reddat verba, quibus rei pater iudices hortatur, ut severe, iuste pieque et sancte agant, neve iniquo laedant iudicio ius humanum atque divinum.

Restituto igitur, ut spero, iusto ordine enuntiatorum, restat altera difficultas removenda, quae posita est in verbis: *τήν τε οὖν εὐσέβειαν τούτων τῶν πραχθέντων*, quorum ne Reiskii quidem explicationem h. l. concoquere valeo. Qui vir doctus et sagax, more suo accurate rem reputans, eam profert interpretationem, quae verbis per se spectatis optime conveniat: „*εὐσέβεια τῶν πραχθέντων* est res ita gesta, seu rei gestae ea ratio, ut in peragenda reverentia deorum seu ius divinum humanumque nullo modo laederetur, res sancte iusteque acta. *αἰδεῖσθαι τὴν τῶν πραχθέντων εὐσέβειαν* est, cavere ne rem, velut sceleratam, punias, eam, quae in se sit pia, iusta et sancta." Videat quisque, quid de hac explicatione statuat; ego autem ad hanc perducor sententiam, ut credam, Reiskium, quo erat mentis acumine, optime sensisse difficultatem, quae his verbis inest, nec tamen ausum esse audaci manu eam removere. Non tam circumspecte egit Pahlius, qui pro *τούτων* rescribens *ἡμῶν*, verba *τῶν πραχθέντων* deleri iubet, — quo iure, ipse viderit. Me iudice, verba, quae exstant, *τήν τε οὖν εὐσέβειαν τούτων τῶν πραχθέντων*, recte se haberent, si is, qui verba facit, confiteretur, filium caedem quidem, sed non voluntariam caedem commisisse. Cum vero ne hoc quidem conce-

dat, haec verba ei tribui nequeunt, nam non nititur sanctitate, sed veritate eorum, quae gesta sunt. Fortasse igitur putaverit quispiam, excidisse quaedam verba, quibus explicaretur illud: *τῶν ἐπιτηδευμάτων*, et lumen affunderetur verbis: *τὴν εὐσέβειαν τούτων τῶν πραχθέντων*. Ego vero crediderim, oratorem scripsisse: *τήν τε οὖν ἀλήθειαν τούτων τῶν πραχθέντων, κτέ.*, postquam autem alieno loco, ut vidimus, inserta sunt haec verba, mutata esse in id quod libri praebent, propter illa, quae proxime praecedunt: *ἀλλ' ἀπολύοντες εὐσεβεῖτε.* Si hanc coniecturam amplectimur, particula *τε*, a Iernstedtio utpote molesta deleta, iam non modo ferri, sed ne abesse quidem sat recte poterit, quia verba: *τήν τε οὖν ἀλήθειαν τούτων τῶν πραχθέντων* una cum additis: *καὶ τὸ δίκαιον* referenda sunt ad antecedens: *ἀπολυόμενος δὲ ὑπό τε τῆς ἀληθείας τῶν πραχθέντων ὑπό τε τοῦ νόμου καθ' ὃν διώκεται.*

γ. §§ 5. 6. *εἰς τοῦτο γὰρ τόλμης καὶ ἀναιδείας ἥκει, ὥστε τὸν μὲν βαλόντα καὶ ἀποκτείναντα ουτε τρῶσαι οὔτε ἀποκτεῖναί φησι, τὸν δὲ οὔτε ψαύσαντα τοῦ ἀκοντίου οὔτε ἐπινοήσαντα ἀκοντίσαι, ἁπάσης μὲν γῆς ἁμαρτόντα, πάντων δὲ σωμάτων, διὰ τῶν ἑαυτοῦ πλευρῶν διαπῆξαι τὸ ἀκόντιον λέγει. ἐγὼ δὲ ἑκουσίως κατηγορῶν ἀποκτεῖναι αὐτὸν πιστότερος ἄν μοι δοκῶ εἶναι ἢ οὗτος, ⟨ὃς⟩ μήτε βαλεῖν μήτε ἀποκτεῖναί φησι τὸ μειράκιον. — ἀλλ' ἄθλιον καὶ πικρὸν σκοπὸν ἐμοὶ ἀκοντίσας ἑκὼν μὲν οὐκ ἀπέκτεινε, μᾶλλον δὲ ἑκὼν ἢ οὔτε ἔβαλεν οὔτε ἀπέκτεινεν, ἀκουσίως δὲ οὐχ ἧσσον ἢ ἑκουσίως ἀποκτείναντές μου τὸν παῖδα*, q. s. — Frid. Ignatius in dissertatione sua inaugurali „de Antiphontis Rhamnusii elocutione" pag. 12 seq. de verbo *βάλλειν* haec adnotat: „Haec vox in

altera tetralogia frequentissime usurpata, nusquam de teli missu videtur dicta esse, quae res potius exprimitur aut verbo *ἀφιέναι*, quod semel fit (*δ*. § 5), aut saepius verbo *ἀκοντίζειν*. *βάλλειν* vero de ictu missilium dici solet, id quod nos quidem in nostra lingua haud minus verbo „werfen," praesertim in passivo genere, reddimus." Dum ad hunc usum stabiliendum vir doctus locos quosdam adfert, incidit etiam in huius tetralogiae *β*. § 3: *τὸ γὰρ μειράκιον οὐχ ὕβρει οὐδὲ ἀκολασίᾳ ἀλλὰ μελετῶν μετὰ τῶν ἡλίκων ἀκοντίζειν ἐν τῷ γυμνασίῳ ἔβαλε μέν, οὐκ ἀπέκτεινε δὲ οὐδένα* et q. s. Qui locus id autem habet sublesti, quod discrepat ab eis, quae adversarius, utpote a reo prolata, repetit, scil. *γ*. § 5: *οὗτος*, <*ὃς*> *μήτε βαλεῖν μήτε ἀποκτεῖναί φησι τὸ μειράκιον*, itemque § 6: *μᾶλλον δὲ ἑκὼν ἢ οὔτε ἔβαλεν οὔτε ἀπέκτεινεν*. Ad hanc difficultatem removendam, Ignatius transposita hypostigme legendum proponit: *ἔβαλε μὲν οὐκ, ἀπέκτεινε δὲ οὐδένα* = nec icit nec interfecit quemquam. En, quo virum doctum pertinacia animi, semel dicti mordice tenax, abduxerit; nam graeca haec esse, cras credam. Ettamen simili ratione agere video Blassium, qui pro certis incerta coniectans in textum recepit: *ἔβαλε μὲν οὐδένα οὐδ' ἀπέκτεινε* q. s. Lubenter quidem ego et Blassio et Ignatio concedo, verbum *βάλλειν* optimo iure adhiberi notione *icendi* (cf. § 5: *ὥστε τὸν μὲν β α λ ό ν τ α καὶ ἀποκτείναντα οὔτε τ ρ ῶ σ α ι οὔτε ἀποκτεῖναί φησι*), si modo mihi concedatur, *iaciendi* notionem recte se habere *β*. § 3. — Cum igitur, quod ad hanc rem, quominus viris doctis officiam, nullus sim, in eo contra quam maxime offendo, quod isti viri *β*. § 3. condemnant ob assignatam

verbo *βάλλειν icendi* notionem, quadrantem illam quidem in γ. § 5, sed non item in β. § 3. Quasi adversarius, cum verba a reo prolata repetit, non possit verbo *βάλλειν* tribuere significationem ab ea, qua reus usus est, diversam! Quis enim tale quid miretur in tetralogiis, quae eum, qui causam dicit, quaelibet quoquomodo in rem suam vertere doceant, cum talia eisque multo graviora etiam apud sophistas et rhetores identidem occurrant. Quae cum ita sint, nulla difficultate locus laborare videtur, nisi quod particulam ἤ, quam Blassius, NA pr. secutus, male ante verba: *οὔτε ἔβαλεν οὔτε ἀπέκτεινεν* inseruit, abiciendam puto.

Sub finem huius loci valde miror, Kayserum calamo inducere verba: *μᾶλλον δὲ — ἀπέκτεινεν*. Causa enim, qua vir doctissimus ut ita faceret sese ductum esse praedicat, scil. quod ea verba et displiceant post: *πικρὸν σκοπὸν ἐμοὶ ἀκοντίσας* q. s., neque satis placeant ante: *ἀκουσίως δὲ οὐχ ἧσσον ἢ ἑκουσίως* q. s. (cf. Mus. Rhen. XII, pag. 231) tam est futilis, ut vir alias sagacissimus h. l. dormitasse videatur. Nam videas quaeso, quam praeclare pater infelix acerbum suum dolorem indicet, cum hoc fere modo verba faciat: „Iaculo suo adolescens scopum feriit, non quem debebat sed alium, funestum mihi et peracerbum. Ita filium meum non ille volens quidem interemit neque, ut et id concedam, volens icit, sed mala fortuna usus puerum, nihilo tamen minus quam si volens fecisset, vita spoliavit". In his verbis, flebili tenore editis, quam bene se habeant vocabula: *μᾶλλον δέ*, nemo non videt; summam enim prae se ferunt acerbitatem: omnia, quaecumque vis, concedo: non volens eum *interfecit*, quin etiam plus

concedo: non volens eum *icit*, attamen et *icit* et *interfecit*. Ecce, praeclara sententia, cui quid desit non assequor.

§ 9. *φάσκων δὲ ἀναμάρτητος εἶναι, καὶ ἀξιῶν τὰς συμφορὰς τῶν ἁμαρτόντων εἶναι καὶ μὴ εἰς τοὺς ἀναμαρτήτους ἐκτρέπεσθαι, ὑπὲρ ἡμῶν λέγει.* Non pro sua ipsius, sed potius pro nostra causa verba facit, argumentans, sese sine culpa esse et postulans, ut clades eorum sit, qui peccaverint, ne autem iis tribuatur, qui nihil commiserint. Haec verba, cum iam per se spectata non omni careant offensione, etiam id praebent molesti, quod in sequentibus non ea omnia explicantur, quod tamen propter particulam *γάρ* exspectamus, sed tantum alterum illud: *καὶ ἀξιῶν* cett. Huc etiam accedit, quod parum intellegitur, quomodo reus pro adversario verba facere dicatur, cum se nihil peccasse perhibeat. Sententiam, quam sub tradita lectione latere exspectamus, scil.: *εἰ δὲ φάσκων ἀναμάρτητος εἶναι, ἀξιοῖ* cett., sine negotio nanciscemur deleta ante *ἀξιῶν* part. *καί*, ita ut ipsum hoc Participium *ἀξιῶν* vice fungatur eius periodi partis, cui grammatici nomen protasis indiderunt.

§ 11. *ἐκ δὲ τῆς αὐτῶν τῶν ἀπολογουμένων ἀπολογίας μετόχου τοῦ μειρακίου τοῦ φόνου ὄντος, οὐκ ἂν δικαίως οὐδὲ ὁσίως ἀπολύοιτε αὐτόν. οὔτε γὰρ ἡμεῖς, οἱ διὰ τὴν τούτων ἁμαρτίαν καταγνωσθέντες ὅσια ἀλλ' ἀνόσι' ἂν πάθοιμεν ὑφ' ὑμῶν· οὔθ' οἱ θανατώσαντες ἡμᾶς μὴ εἰργόμενοι τῶν οὐ προςηκόντων εὐσεβοῖντ' ἂν ὑπὸ τῶν ἀπολυσάντων τοὺς ἀνοσίους.* Venimus ad locum, magna laborantem difficultate, quam valde miror, ab iis, qui Antiphontis orationes emendandas susceperunt, non

perspectam, certe non sublatam esse. Reiskius verbis εὐσεβοῖντ' ἂν difficultatem quandam inesse sensit, quam tamen interpretatione potius quam coniectura removere conatus est. Maetznerus, dum Reiskium falsae convincit explicationis, neque se ipsum, quid tota loci natura requirat satis intellexisse manifesto indicat. Ob magnum autem momentum, quod huic loco attribuo, utriusque viri doctissimi verba accuratius persequar. Reiskius ad εὐσεβοῖντ' ἂν subaudiri iubet „ὀρθῶς καὶ δικαίως." „Neque," inquit „recto et aequo convenienter fiat, si, qui nos morte affecissent, non modo ab iis locis haud arceantur, unde impuros arceri par est, sed et pro piis et sanctis habeantur, eaque reverentia excipiantur et tractentur, qua pios et sanctos excipi ius et fas est." Hactenus Reiskius. Sed profecto, si talia tacite subaudiri licebit, nulla iam usquam difficultas residere poterit, sed ex omnibus omnia aut interpretando aut supplendo enucleari licebit. Si vir clarissimus verba, quae tacite suppleri iubet, saltem in textum aut recepisset, aut recipienda proposuisset, speciem certe aliquam habere videretur eius explicatio, quae leviter locum inspicientibus satisfacere posset; sed quomodo subaudiri possint verba ὀρθῶς καὶ δικαίως, quae summa potius vi efferenda forent, unicuique obscurum manebit. Ab hac saltem parte melius se habet Maetzneri explicatio, qui, quod Reiskius mente suppleri vult: ὀρθῶς καὶ δικαίως in textum inserens, haec adnotat: „neque ii, qui nos interfecerunt (i. e. adversarii filius, qui meum interfecit puerum) si non arceantur, unde eos arceri par est, iure a iudicibus impios absolventibus reverentia digni habeantur." Quae explicatio utique hoc habet

commodi, quod ea, quae textus revera continet, praebet, neque poscit, ut de nostro addamus aliquid. Priusquam autem indicem, qua ratione ipse locum intellegi oportere censeam, pauca praemonere velim.

Cum totius antiquitatis, tum praecipue Graecorum erat opinio, legibus moribusque confirmata et religiose semper observata, ut sibi fingerent *τὸν φονέα* ipsa caede, quam patrasset, violare sanctitatem numinum, quae terram tuentur, cf. *Γ. α.* § 2: *ὅστις οὖν τῶν ὑπὸ τοῦ θεοῦ ἀξιωθέντων τοῦ βίου ἡμῶν ἀνόμως τινὰ ἀποκτείνει, ἀσεβεῖ μὲν περὶ τοὺς θεούς* q. s. Horum iram excitari, et, si interfector loca eis consecrata adeundo polluerit, ita augescere, ut gravissimas a totius terrae incolis, qui tale monstrum quiete in civitate vivere patiantur, poenas exigant, ostendunt *Α. α.* § 10: *ἀσύμφορόν θ' ὑμῖν ἐστὶ τόνδε μιαρὸν καὶ ἄναγνον ὄντα εἴς ⟨τε⟩ τὰ τεμένη τῶν θεῶν εἰσιόντα μιαίνειν τὴν ἁγνείαν αὐτῶν, ἐπί τε τὰς αὐτὰς τραπέζας ἰόντα συγκαταπιμπλάναι τοὺς ἀναιτίους· ἐκ γὰρ τούτων αἵ τ' ἀφορίαι γίγνονται δυστυχεῖς θ' αἱ πράξεις καθίστανται,* et *β.* § 11: *οἱ δὲ διώκοντες μὲν ἐμὲ τὸν ἀναίτιον τὸν δ' αἴτιον ἀφιέντες τῆς τε ἀφορίας αἴτιοι γίγνονται,* cett. Hinc identidem preces ad iudices fiunt, ut condemnando noxio et nocente civitatem liberent piaculo, quo commaculata sit, cf. *Α α.* § 11: *οἰκείαν οὖν χρὴ τὴν τιμωρίαν ἡγησαμένους, αὐτῷ τούτῳ τὰ τούτου ἀσεβήματα ἀναθέντας, ἰδίαν μὲν τὴν συμφοράν, καθαρὰν δὲ τὴν πόλιν καταστῆσαι,* et *Β. α* § 2: *ὑμᾶς δὲ ἀξιῶ — εἴργοντας ὧν ὁ νόμος εἴργει τὸν ἀποκτείναντα μὴ περιορᾶν ἅπασαν τὴν πόλιν ὑπὸ τούτου μιαινομένην* et alibi passim. Ut igitur uniuscuiusque civis

est, eum, qui caedem commisit, in iudicium vocare, quo expietur contagium scelusque abluatur et ira deorum in eum, qui auctor maleficii culpaeque obnoxius est, detorqueatur, ita summum, quod committi potest, scelus committunt iudices, cum pro maleficio sceleste nefarieque patrato poenas non sumunt a caedis auctore, cf. *B. γ.* § 12: *τῆς οὖν ὑμετέρας εὐσεβείας ἕνεκα καὶ τῶν νόμων ἀπάγοντες τιμωρεῖσθε αὐτόν, ⟨καὶ⟩ αὐτοί τε μὴ μεταλάβητε τῆς τούτου μιαρίας* cett. et *Γ. β.* § 8: *ἀδίκως μὲν γὰρ ἀπολυθείς, διὰ τὸ μὴ ὀρθῶς ὑμᾶς διδαχθῆναι ἀπόφυγών, τοῦ μὴ διδάξαντος καὶ οὐχ ὑμέτερον τὸν προστρόπαιον τοῦ ἀποθανόντος καταστήσω,* et § 9: *ταῦτ' οὖν εἰδότες, τουτοισὶ τὸ ἀσέβημα τοῦτο ἀναθέντες, αὐτοί τε καθαροὶ τῆς αἰτίας γένεσθε ἐμέ τε ὁσίως καὶ δικαίως ἀπολύετε.* Quare et iudices eum, qui caedis convictus est, arcent, unde arcendus est, et ipse, qui caedem commisit, non adeundo ea loca, se ipse, quantum fieri potest, expiare deosque placare studet; qua de re is, qui orationem *περὶ τοῦ χορευτοῦ* habuit, pulcre disserens ab Antiphonte inducitur VI § 4.

Talia mecum reputans, hanc censeo sententiam subesse oportere verbis manifesto corruptis: „si vos, iudices, hunc, quem vobis in iudicium adduxi, criminis absolvetis, tum neque aequa et iusta patietur meus filius, — nam reum absolvendo efficietis, ut omnes putent, puerum sua sibi manu mortem intulisse — nec adversarium liberabitis piaculo, quo obstrictus tenetur, si non arcebitur a locis, quae ei adire fas non est. Praeterea, si hac ratione agetis, divina lege sceleris piaculum in vosmet ipsos redundet necesse est; quapropter in tam periculosa re, nequid ex ea vobis mali accidat, quam

maxime cavere decet et providere." Haec si recte disputata sunt, fortasse concedi mihi potest, pro *εὐσεβοῖντ'* legendum esse: *ἀγνεύοιντ'* vel *ὁσιοῖντ'*. — Ceterum in sequentibus: *πάσης δ'ὑπὲρ πάντων* cett., quia nostrae explicationi non convenit particula *δ'*, non dubito reponere, quae flagitatur, particulam *τ'*. In eis autem, quae antecedunt: — *ὅσια ἀλλ' ἀνόσι' ἂν πάθοιμεν*, verba *ἀλλ' ἀνόσι'* reddenda puto, cui debentur, interpolatori.

δ. §§ 1, 2. *τοῦτον μὲν εἰκὸς πρὸς τὴν ἑαυτοῦ κατηγορίαν προςέχοντα τὸν νοῦν μὴ μαθεῖν τὴν ἀπολογίαν μου, ὑμᾶς δὲ χρή, γιγνώσκοντας ὅτι ἡμεῖς μὲν οἱ ἀντίδικοι κατ' εὔνοιαν κρίνοντες τὸ πρᾶγμα εἰκότως δίκαια ἑκάτεροι αὑτοὺς οἰόμεθα λέγειν, ὑμᾶς δὲ ὁσίως ὁρᾶν προςήκει τὰ πραχθέντα· ἐκ τῶν λεγομενων γὰρ ἡ ἀλήθεια σκεπτέα αὐτῶν ἐστίν. ἐγὼ δέ, εἰ μέν τι ψεῦδος εἴρηκα, ὁμολογῶ καὶ τὰ ὀρθῶς εἰρημένα προςδιαβάλλειν ἄδικα εἶναι·* Alteram, quam sui defendendi causa habet orationem, ita instituit reus, ut, quod adversarius animum non satis verterit ad ea, quae ipse protulisset, quodammodo excusans, iudices ipsos adhortetur, ut sine ira et studio causam diiudicent. Cum iam certum et procul ullo sit dubio, talem inesse debere verbis, quae traduntur, sententiam, haudquaquam apparet, quomodo inde elici possit. Haec autem res eo difficilior existit, quod duae adsunt unius eiusdemque vocabuli lectiones; tantum autem interest, utrum hanc an illam lectionem sequamur, ut eo verba sequentia prorsus diversam accipiant explicationem. Nempe ii, qui codices accuratius inspexerunt, NA pr. praebere tradunt: *χρὴ γινώσκοντας*, A corr.[2] autem: *χρὴ γινώσκειν*. Quamvis autem

bene equidem sciam, correctricis manus scripturam, praesertim si id, quod prima manus exhibet, manifesto corruptum sit, saepenumero nihil nisi meram esse coniecturam, nulla librorum MSS. auctoritate nisam, tamen h. l. nimis celeriter abiecisse putem recentiores editores lectionem aptissimam. Nam, si A corr.[2] lectionem sequimur, reum tali orationis initio utentem facimus, ut verba, quae profert, in duo membra distribuantur, quae a particulis *μέν* et *δέ* ordiuntur, a quorum altero duo denuo dependent cola, ea quoque a *μέν* et *δέ* incohantia. Hoc modo talem assequimur verborum conexum, qualis per se spectatus rectissime se habet, qualemque statim probare nullus dubitarem, nisi id, quod de A corr.[2] dixi, ut caute agamus, suaderet. Sin cum Blassio et Jernstedtio, quae NA pr. exhibent, sequemur, omnia, quae modo enumeravimus commoda evanescent. Tum enim alterum verborum, quibus orationem suam incipit reus, membrum hoc erit: *ὑμᾶς δὲ χρή* — *ὑμᾶς δὲ ὁσίως ὁρᾶν προςήκει τὰ πραχθέντα*; molestissima igitur efficietur repetitio, in qua verba: *ὑμᾶς δέ* et *προςήκει* plane abundent. Ergo, si quis lectionem NA pr. omnino servandam iudicat, auctor ei sum, ut, deleta post *ὅτι ἡμεῖς* particula *μέν*, pro verbis: *ὑμᾶς δ' ὁσίως ὁρᾶν προςήκει τὰ πραχθέντα* restituat: *ὁσίως ὁρᾶν ⟨πρὸς οὓς⟩ προςήκει τ. πρ.* Quod ad verba: *πρὸς οὓς προςήκει*, conferas quaeso Herodoti VIII, § 100: *οὐδὲν πρὸς Πέρσας τοῦτο προςήκει τὸ πάθος.* — At vides, quam violenta sint omnia in hoc, ut NA pr. scriptura pro fundamento utamur, conatu, et molesta, quam contra in illa lectione plana omnia et expedita. Quin igitur subscribimus eis, quae A corr.[2]

praebet? Equidem saltem, ut ita faciamus, quam maxime suadeo.

At altera etiam nunc restat difficultas, quae impedit, quominus totum prologum recte intellegere possimus. Verba enim, quae reus pergens subicit: *ἐκ τῶν λεγομένων γὰρ ἡ ἀλήθεια σκεπτέα αὐτῶν ἐστίν*, nihil in praecedentibus habent, quo referri possint, quod tamen opus esse satis superque indicat addita particula *γάρ*. Quare statuendum credo, aut part. *γάρ* corruptam eiusque loco restituendam esse, quacum totiens confusa est, particulam *δέ*, aut verba: *ἐκ τῶν λεγ. — ἐστίν*, quae quasi parenthetice addita sunt, hinc removenda et aptiore loco inserenda esse. Iis, qui mecum hanc alteram viam ingredi malint, auctor sim, ut his verbis locum in sequentibus attribuant post: *ἄδικα εἶναι*, ita ut iis ratio reddatur, cur reus dixerit *ἐγὼ δέ, εἰ μέν τι ψεῦδος εἴρηκα, ὁμολογῶ καὶ τὰ ὀρθῶς εἰρημένα προσδιαβάλλειν ἄδικα εἶναι*; quia nimirum iudices *τὴν ἀλήθειαν τοῦ πράγματος* tantum colligere possunt ex ipsa rei narratione. Nam Participium *λεγομένων* tanta cum emphasi in initio positum est, ut ipsa, qua effertur, vi nanciscatur notionem verborum: *αὐτῶν τῶν λεγομένων* i. e. ex ipsis, quibus res narratur verbis.

Ceterum nimis abundantia et plane intolerabilia illa *ἄδικα εἶναι*, ego interpolatori potius reddenda putem, quam cum Bohlmanno, qui ea l. l. pag. 17 seq. in *ἄξια εἶναι* emendanda proponit, corrupte tradita existimem. At ecce, cum haec iam absolvi, mihi in mentem venit coniectura, Bohlmannianae illius haud tam dissimilis, scil: *<τ>ἀδ'ίκα<νὰ> εἶναι*, i. e. sin autem mendacia protulero, profiteor, haec ipsa apta esse, ut ea quoque,

quae vere et recte a me dicta sunt, suspecta reddant. Num autem loco ita iam satisfiat, equidem diiudicare non ausim.

§ 4. *τῆς δὲ διαδρομῆς αἰτίας ταύτης γενομένης, εἰ μὲν ὑπὸ τοῦ παιδοτρίβου καλούμενος διέτρεχεν, ὁ παιδοτρίβης ἂν ⟨ὁ⟩ ἀποκτείνας αὐτὸν εἴη, εἰ δ' ὑφ' ἑαυτοῦ πεισθεὶς ὑπῆλθεν, αὐτὸς ὑφ' ἑαυτοῦ διέφθαρται.*. Male me habet horum verborum initium. Parum enim intellegitur, quo iure adsit vocabulum *διαδρομῆς* post decisum illud optimeque in rei descriptionem quadrans: *ὑπελθόντα*. Vix igitur opus erit admonito, ut Antiphonti reddatur: *τῆς δ' ὑποδρομῆς αἰτίας ταύτης γενομένης* i. e. *ἐπεὶ δὲ αὕτη ἡ ὑποδρομὴ αἰτία ἐγένετο*. Sic iam rectissime excipit vocabulum *ὑποδρομή* eiusdem notionis verbum *ὑπελθόντα*, nam *ὑποτρέχειν* idem esse ac *ὑπιέναι*, vel pueri sciunt. Ceterum unicuique facile patebit, oratorem consulto a vulgari verborum ordine: *αἰτίας δὲ γενομένης τῆς ὑποδρομῆς ταύτης* decessisse et quidem idcirco, quod voc. *ὑποδρομῆς* ob magnam, quam sibi conciliat vim, cum emphasi in initio collocandum erat.

§ 9. *ἔχοντός γε δὴ τὴν δίκην τοῦ φονέως, οὐκ ἐὰν ἀπολύσητε ἡμᾶς, ἀλλ' ἐὰν καταλάβητε, ἐνθύμιον ὑπολείψεσθε. ὁ μὲν γὰρ αὐτὸς τὰς ἑαυτοῦ ἁμαρτίας φέρων οὐδενὶ οὐδὲν προστρόπαιον καταλείψει· ὁ δὲ καθαρὸς τῆς αἰτιας ὅδε ἐὰν διαφθαρῇ, τοῖς καταλαμβάνουσι μεῖζον τὸ ἐνθύμιον γενήσεται.* Horum verborum sententia haec fere est: quoniam interemtor poenas luit, non absolvendo sed condemnando me piaculum relinquetis. Nam ille, qui suas ipse fert culpas, nemini piaculum relinquet, hic autem insons, si damnabitur, vobis ipsis, qui condemnaveritis, piaculo erit sempi-

terno. In hac explicatione, quam omnia utpote unice rectam nos agnoscere cogunt, non bene se habent vocabula: *μεῖζόν τὸ ἐνθύμιον*, pro quibus potius exspectamus: piaculum aeternum, piaculum, quod in omne tempus manebit. Hoc, nisi fallor, etiam erat, cur Blassius pro *μεῖζον* coniecerit: *ἀείζων*, quae coniectura tam quod ad sententiam, quam quod ad artem palaeographicam, recte se habet, cum etiam, quod poeticum prae se fert colorem, (exstat enim Aeschyl. Suppl. 988.) bene in hanc sanctae piaeque reverentiae plenam descriptionem quadret. Id tantum ingeniosae certe Blassii emendationi obesse puto, quod voc. *ὁ δὲ καθαρός*, subiecti munere fungens, non patitur articulum in verbis: *ἀείζων τὸ ἐνθύμιον*. Conferas etiam *Γ. δ.* § 10: *ὅ τε γὰρ ἀποκτείνας τούτου ἀποθανόντος οὐδὲν ἧσσον τοῖς αἰτίοις προςτρόπαιος ἔσται* q. s. Legatur igitur: *ἀείζων ἐνθύμιον*.

§ 10. *ὀρθῶς δὲ τῶν ἐλέγχων ἐλεγχόντων τὸν παῖδα αὐθέντην ὄντα, ὁ νόμος ἀπολύων ἡμᾶς τῆς αἰτίας τὸν ἀποκτείναντα καταλαμβάνει.* Cum iure omnia puerum sui ipsius interfectorem esse redarguant, lex, dum nos absolvit, interemtorem condemnat. Ut his verbis suum restituamus conexum, opus erit, ut illa in initio collocata *ὀρθῶς δέ* postposito hypostigmes signo a statim subsequentibus seiuncta ad verbum *καταλαμβάνει* spectare indicemus. Ita explicata sententia nullam amplius praebebit difficultatem.

IV. Γ.

α. §§ 1. 2. 3. 4. *Νενόμισται μὲν ὀρθῶς τὰς φονικὰς δίκας περὶ πλείστου τοὺς κρίνοντας ποιεῖσθαι διώκειν τε καὶ μαρτυρεῖν κατὰ τὸ δίκαιον, μήτε τοὺς ἐνόχους ἀφιέντας μήτε τοὺς καθαροὺς εἰς ἀγῶνα καθιστάντας. ὅ τε γὰρ θεὸς βουλόμενος ποιῆσαι τὸ ἀνθρώπινον φῦλον τοὺς πρώτους γενομένους ἔφυσεν ἡμῶν, τροφέας τε* (*καὶ* codices addunt) *παρέδωκε τὴν γῆν καὶ τὴν θάλασσαν, ἵνα μὴ σπάνει τῶν ἀναγκαίων προαποθνήσκοιμεν τῆς γηραιοῦ τελευτῆς. ὅστις οὖν τῶν ὑπὸ τοῦ θεοῦ ἀξιωθέντων τοῦ βίου ἡμῶν ἀνόμως τινὰ ἀποκτείνει, ἀσεβεῖ μὲν περὶ τοὺς θεούς, συγχεῖ δὲ τὰ νόμιμα τῶν ἀνθρώπων. ὅ τε* [*γὰρ*] *ἀποθανών, στερόμενος ὧν ὁ θεὸς ἔδωκεν αὐτῷ, εἰκότως θεοῦ τιμωρίαν ὑπολείπει τὴν τῶν ἀλιτηρίων δυσμένειαν, ἣν οἱ παρὰ τὸ δίκαιον κρίνοντες ἢ μαρτυροῦντες, συνασεβοῦντες τῷ ταῦτα δρῶντι, οὐ προςῆκον μίασμα εἰς τοὺς ἰδίους οἴκους εἰςάγονται· ἡμεῖς τε οἱ τιμωροὶ τῶν διεφθαρμένων, εἰ δι' ἄλλην τινὰ ἔχθραν τους ἀναιτίους διώκοιμεν* cett. Animus me inducit, ut hunc locum paulo accuratiore disputatione persequar. Cuius initio Maetznerus in explicando vocabulo *κρίνοντας* discrepat ab iis, quae Reiskius de ea re in medium protulit. Cum enim hic vir clarissimus vocabulo *κρίνοντας* talem adaptet explicationem, ut positum dicat pro *δικασταί*, ille contra id nomen trita, quaque ab oratoribus atticis plerumque adhibitum deprehenditur notione positum putat. Et revera, videas quaeso, quam parum placeat Reiskiana illa ratio. Coniungenda enim iam essent: *τοὺς κρίνοντας διώκειν τε καὶ μαρτυρεῖν*, quae con-

iunctio, quam pravam praebeat sententiam et absurdam, nemo non perspicit. Neque ipsum istius interpretationis auctorem id latuisse, intellegimus ex adnotatione: „subaudi ad *διώκειν*: *τοὺς διώκοντας*, ad *μαρτυρεῖν*: *τοὺς μαρτυροῦντας*." Sed profecto, quam maxime cavendum est, ne cum viro clarissimo ad lectionem, cui favet, retinendam talia mente suppleamus quae suppleri nequeant. Orator, si id, quod Reiskius perhibet, dicere voluisset, facili negotio id indicare potuisset scribendo, quod unice rectum esset: *διώκεσθαί τε καὶ μαρτυρηθῆναι*, neque auditores iussisset de suo ingenio addere quae ipse omisisset. Quae cum ita sint, equidem nullus dubito, quin adstipulandum sit alteri, quam Maetznerus praebuit explicationi.

Deinde autem, pauca de verborum ordine locutus, subicit doctus oratorum editor: „quidquid eius est, perspicuitati et mori loquendi naturaeque rerum conveniens hic est ordo, quem demonstrabo: *τοὺς κρίνοντας τὰς φονικὰς δίκας περὶ πλείστου ποιεῖσθαι*." Sed in hac quoque re a viro clarissimo valde dissentio. Nam aut ego egregie fallor, aut is, qui haec verba facit, consulto in initio orationis posuit: *τὰς φονικὰς δίκας*, ut statim indicaretur, in quibusnam causis prae ceteris tanti intersit accusatorum, ut omnia rite et iure fiant. Verba: *τὰς φονικὰς δίκας* cum emphasi efferenda, tam spectant ad *τοὺς κρίνοντας* quam ad *διώκειν τε καὶ μαρτυρεῖν*, cum simul per anticipationem quandam indicent, cur tanti referat eas religiose agi. Hoc absoluto, iam alteram aggrediemur difficultatem, quam, quia ab iis, qui hucusque operam et laborem huic orationi emendandae impenderunt, integra relicta est, altius investigari necesse arbitror.

Orator igitur, postquam dixit, legibus et moribus receptum esse, ut accusatores sua magnopere interesse putent, in causis, quae de caede fiant, omnia secundum ius et fas fieri, id oratione per particulas τε — τε bipertita, accuratius demonstrandum suscepit. Ut hactenus omnia recte procedunt, ita frustra iam quaerimus, quomodo paragraphi quartae verba cum iis, quae praecedunt § 3, (quo ut referamus, nos cogit particula τε) cohaereant. Nam ea, quae § 3 exstant, tantummodo prolata sunt, ut iis demonstrentur antecedentia. Hinc autem apparet, nullum locum esse § 3 particulae τε, sed unice recte se habere eam voculam, quam Sauppium secuti recentiores editores delent, scil. γάρ. At si hanc lectionem probamus, non amplius se sustentare valet sequens part. τε, quae, quo referatur, iam non habebit. Nec omnino antecedentibus per talem particulam connectenda sunt, quae § 4 subiciuntur, sed adversative potius eis opponenda erunt. Ob hanc causam ego libenter auctor sum, ut et initio § 3 legatur: ὁ γάρ ἀποθανών et § 4 pro ἡμεῖς τε quantocius restituatur: ἡμεῖς δέ. Unusquisque, satisne sibi haec correctio placeat, ipse diiudicet: equidem eam non facile abiciam.

§ 2. ὅ τε γὰρ θεὸς — τροφέας τε καὶ (sic codices) παρέδωκε τὴν γῆν καὶ τὴν θάλασσαν q. s. Nemo, ut puto, hodie est, qui dubitet, quin in codicum lectione vitium lateat, cum in verbis: τροφέας τε καὶ παρέδωκε altera utique particula abundet. Nec tamen Maetzneri ceterorumque, qui vocula καί delenda difficultatem removere studuerunt, criticae exercendae rationem probarim, cum nulla indicari possit causa, cur haec par-

ticula omnibus reluctantibus in textum inrepserit. Mihi quidem in hac re prudentius egisse videtur Reiskius, qui haec adnotat: „liquet post *καί* vocabulum desiderari, e. c. *ποριστάς*. Sic appellat mare terramque, quae humano generi ad victum cultumque necessaria praebent, item *συνεργούς* possit suppleri, aut aliud quid simile." Neque cunctarer recipere hanc Reiskii coniecturam, quae multo magis placet, quam quod Spengelius Mus. Rhen. XVII pag. 169 protulit: *τροφέας τε καὶ τροφούς*, nisi id me retineret, quod verbum *παραδιδόναι* et similia ita adhiberi solent, ut id, quod ostendit, quem ad finem tradatur obiectum grammaticum, non per alterum accusativum, praedicative additum, significetur, sed per Infinitivum. Videas e. g. Euripidis Orest. vs. 63 sqq.:

ἣν γὰρ κατ'οἴκους ἔλιφ' ὅτ' ἐς Τροίαν ἔπλει,
παρθένον ἐμῇ τε μητρὶ παρέδωκεν τρέφειν
Μενέλαος ἀγαγὼν Ἑρμιόνην Σπάρτης ἄπο,
ταύτῃ γέγηθε κἀπιλήθεται κακῶν.

Platonis *νόμων* III, pag. 694[d]: *ἔοικεν ἐκ νέου στρατεύεσθαι διὰ βίου, ταῖς γυναιξὶ παραδοὺς τοὺς παῖδας τρέφειν*. VII, pag. 805[e]: *εἴς τινα μίαν οἴκησιν ξυμφορήσαντες, τὸ λεγόμενον, πάντα χρήματα παρέδομεν ταῖς γυναιξὶ διαταμιεύειν τε καὶ κερκίδων ἄρχειν καὶ πάσης ταλασίας*. l. l. pag. 811[e]: — *οὓς δ' ἂν τῷ ἐπαίνῳ συμψήφους ἔχῃ, τούτοις χρώμενον τοὺς νέους αὐτοῖς παραδιδόναι διδάσκειν τε καὶ παιδεύειν*. Cf. etiam IX, pag. 871[e], Antiph. *Γ. α.* § 7. Lysiae VII § 34 et XIII § 68.

Hac argumentandi ratione tamquam firmo fundamento insistens, puto locum facillime ita constitui

posse, ut nihil amplius, quo offendamur remaneat, si legimus: *τροφέας τ'<εἶ>ναι παρέδωκε.* Omnis iam difficultas evanuit, nam et habemus Infinitivum, quem poscebamus, et agnoscitur particulae *καί* origo; nempe, postquam librarius quidam pro *τ'εἶναι* scripserat: *τε ιναι*, fieri non poterat, quin literae *ιναι* quoquo modo corrumperentur.

Ceterum equidem scire velim, quo iure in sequentibus: *ἵνα μὴ σπάνει τῶν ἀναγκαίων προαποθνήσκοιμεν τῆς γηραιοῦ τελευτῆς*, prima adsit verbi persona. Quasi deus, cum humanum genus conderet, *maioribus* nostris terram atque mare tribuisset, ut *nobis*, *posteris*, altores haec essent, nobisque praeberent necessaria vitae sustentandae praesidia. Si quid sentio, extrusa litera *μ* scribendum erit: *προαποθνήσκοιεν.*

§ 6. *εἰ μὲν γὰρ ἄκων ἀπέκτεινε τὸν ἄνδρα, ἄξιος ἂν ἦν συγγνώμης τυχεῖν τινός· ὕβρει δὲ καὶ ἀκολασίᾳ παροινῶν εἰς ἄνδρα πρεσβύτην, τύπτων τε καὶ πνίγων ἕως τῆς ψυχῆς ἀπεστέρησεν αὐτόν, ὡς μὲν ἀποκτείνας τοῦ φόνου τοῖς ἐπιτιμίοις ἔνοχός ἐστιν, ὡς δὲ συγχέων ἅπαντα τῶν γεραιοτέρων* (N: *τὸν γηραιότερον.* A pr. *τῶν γεραιρέτέρων.* corr.: *τῶν γεραιοτέρων*) *τὰ νόμιμα οὐδενὸς ἁμαρτεῖν, οἷς οἱ τοιοῦτοι κολάζονται, δίκαιός ἐστιν.* Male me habet, quod omnes adhuc Antiphontis editores h. l. exhibent lectionem: *τῶν γεραιοτέρων*, id latere putantes in codicis N lectione depravata: *τὸν γηραιότερον.* Scilicet huic libro summa attribuitur auctoritas, alterius autem codicis A lectiones, licet saepenumero multo sint meliores, tum demum alicuius momenti esse censentur, cum consentiunt cum iis, quae in altero illo libro leguntur. Nam cum hodie vel pueri

sciant, τὸ συγκριτικὸν ὄνομα adiectivi γεραιός non esse γεραιότερος, sed semper ubique, extrusa litera ο inveniri γεραίτερος, (cf. Krueger. gr. gr. I. § 82. 2. Anm. Koch. gr. gr. § 35. 2.) tamen potius contra artem grammaticam peccant, quam ut facili negotio e codicis A pr.: γεραιρετέρων eruant, quod solum ferri potest: γεραιτέρων. At dicent: „inest igitur etiam codicis A pr. lectioni vitium". Inest quidem, sed tamen vitium est, ut ita dicam, innocentissimum, cum per dittographiam (a qua vix ulla librorum manuscriptorum pagina pura est), geminata sit syllaba ρ α ι, et quidem ita geminata, ut non tam scripturae quam pronuntiationis ratio sit habita. Nam diphthongum α ι eodem, quo nos proferamus literam ε, sono, reddi solitam esse, et passim sic peccari, ut α ι pro ε scribatur, aut ε pro α ι, non est, quod pluribus doceam.

Ceterum non recte mihi videtur Hirschigius ipsa haec: τῶν γεραιτέρων, utpote spuria e contextu removere. Nam accusator, qui omnes intendit vires, ut rei condemnationem efficiat, callido artificio usus eius scelus ita describit, ut duo scelera commissa esse, inde appareat. Et attendas quaeso, quam apte rem suam egerit. Per chiasmi quippe figuram docet, reum, qui hominem ἔτυπτέ τε καὶ ἔπνιγεν ἕως τῆς ψυχῆς ἀπεστέρησεν αὐτόν, caedem commisisse, sed insuper propter τὸ ὕβρει καὶ ἀκολασίᾳ παροινεῖν εἰς ἄνδρα πρεσβύτην, confudisse et proculcasse ἅπαντα τὰ νόμιμα — quorumnam? nimirum: τῶν γεραιτέρων. Nam eo graviore poena dignum erat maleficium, quod commissum esset in senem, quam aetatem, ut iuvenes summa cum pietate et reverentia colerent Athenis a prima iam pueritia institue-

bantur. Itaque nego iustam causam adesse, cur obsequamur Hirschigio verba delenti, quae tantam habeant vim ad incitandam iudicum indignationem.

β. § 4. *προλεγόντων γὰρ αὐτῷ τῶν ἄλλων ἰατρῶν, εἰ ταύτην τὴν θεραπείαν θεραπεύσοιτο, ὅτι ἰάσιμος ὢν διαφθαρήσοιτο, δι' ὑμᾶς τοὺς συμβούλους διαφθαρεὶς ἐμοὶ ἀνόσιον ἔγκλημα προσέβαλεν.* Non puto fore, quibus haec verba, si severior de iis habeatur censura, integra esse videantur; Jernstedtius iure post voc. *συμβούλους* desiderat verbum *ἐπιτρεφθείς*, cf. Observ. Antiph. pag. 17. Cum autem vir doctissimus hoc vocabulum restitutum vult loco Participii: *διαφθαρείς*, eo iam parum recte agit, quod tum removetur notio, quae, si abest, non minus desideratur, quam quod coniectura sua assequitur, verbum: *ἐπιτρεφθείς*. Mallem Jernstedtius post Participium *διαφθαρείς* inseruisset: *ἐπιτρεφθείς* neque quicquam praeterea mutasset. Nam conlato, quo ad haec verba respondetur, loco, scil. *γ*. § 5, desideramus aut: *δι' ὑμᾶς τοὺς συμβούλους τοῦ ἐπιτρεφθῆναι*, aut: *δι' ὑμᾶς τοὺς συμβουλεύσαντας ἐπιτρεφθῆναι*. Hoc alterum amplexus, mihi notionem necessariam restituisse videor, scripto: *δι' ὑμᾶς τοὺς* <*τοῦτο*> *συμβουλεύσαντας διαφθαρείς* cett., in quibus voc. *τοῦτο* spectans ad verba, quae proxime praecedunt: *εἰ ταύτην τὴν θεραπείαν θεραπεύσοιτο*, idem valet ac: *ταύτην τὴν θεραπείαν θεραπεύεσθαι.*

§ 8. Sub finem orationis suae, reus, ne quidquam, quod in rem suam vertere possit, praetermittat, etiam tali iudices, ne se condemnent, absterrere conatur argumentatione, ut doceat, tantummodo, si se condemnent, at nequaquam si absolvant, illis accidere posse

piaculum. Nam, ait reus, sumamus me revera commisisse scelus, vos autem me absolvere: tamen non vobis, qui meae narrationi confisi me iudicio absolveritis, culpae id erit, sed in me solum omne, quod inde nascitur piaculum redundabit, utpote qui falsa narrando vos deceperim. Verba, quae ad hunc finem effundit, sunt haece: *ἀδίκως μὲν γὰρ ἀπολυθείς, διὰ τὸ μὴ ὀρθῶς ὑμᾶς διδαχθῆναι ἀποφυγών, τοῦ μὴ διδάξαντος καὶ οὐχ ὑμέτερον τὸν προςτρόπαιον τοῦ ἀποθανόντος καταστήσω*, in quibus valde vereor, ut recte tradita sint illa: *τοῦ μὴ διδάξαντος*, quia reus sese piaculo obnoxium fore fatetur, non utpote qui nihil, sed qui non recte iudices de certamine docuerit. Neque id subterfugit Reiskium, qui ad haec verba adnotat: id est *τοῦ μὴ ὀρθῶς διδάξαντος, ἐμοῦ δηλονότι*; sed vellem vir doctissimus illud *ὀρθῶς* non tacite supplevisset, sed potius audacter in textu reponi iussisset. — Aliam ad vitium sanandum viam ingressus est Jernstedtius, qui l. l. pag. 18, quod omnium facillimum est, particulam *μή* uncis secludit. In hac tamen coniectura id relinquitur molesti, quod nulla, cur invecta sit part. *μή*, adesse videtur iusta causa, cum simul id obstet, quod verba: *μὴ ὀρθῶς*, quae, (quia causam adferunt dictis) omnem in se conciliant vim, salva sententia abesse non possunt. Si hoc alterum non esset obstaculo, equidem potius pro vocabulo *μή* legerem: *ὑμᾶς*. Sed, ut iam dixi, ego mihi tantummodo placeo in reddendo Antiphonti: *τοῦ μὴ* ⟨*ὀρθῶς*⟩ *διδάξαντος*, cui coniecturae, in quam dudum incideram, etiam Reiskium favere, non sine magno animadverti gaudio.

γ. § 4. *ὁ δὲ μείζω ὧν ἤθελε πράξας, τῇ ἑαυτοῦ ἀτυ-*

χίᾳ ὃν οὐκ ἤθελεν ἀπέκτεινεν. Num interponenda erit particula *καί* verbis: *ὁ δὲ* et *μείζω*?

§ 5. *ὑπὸ δὲ τοῦ ἰατροῦ φάσκων αὐτὸν ἀποθανεῖν, ⟨οὐ⟩ θαυμάζω ὅτι ὑφ' ἡμῶν τῶν συμβουλευσάντων ἐπιτρεφθῆναί φησιν αὐτὸν διαφθαρῆναι. καὶ γὰρ ἂν εἰ μὴ ἐπετρέψαμεν, ὑπ' ἀθεραπείας ἂν ἔφη διαφθαρῆναι αὐτόν. εἰ δέ τοι καὶ ὑπὸ τοῦ ἰατροῦ ἀπέθανεν, ὁ μὲν ἰατρὸς οὐ φονεὺς αὐτοῦ ἐστίν — ὁ γὰρ νόμος ἀπολύει αὐτόν, διὰ δὲ τὰς τούτου πληγὰς ἐπιτρεψάντων ἡμῶν αὐτῷ, πῶς ἂν ἄλλος τις ἢ ὁ βιασάμενος ἡμᾶς χρῆσθαι αὐτῷ φονεὺς εἴη ἄν;* Cum in huius loci initio codices inter se discrepent, nam quae in codice N post verba *θαυμάζω ὅτι* exstat negatio *οὐχ* a codice A abest, Blassius utriusque libri lectionem deserens, Hirschigio consentit, qui conlatis, quae *β.* § 4. de hac re ab accusato proferuntur, negationem potius ante verbum *θαυμάζω* ponendam censet. At, ut et ipsi, num revera l. l. ulla, cur ita faciamus adsit causa, diiudicemus, accuratius iam inspiciamus, quae reus facit verba: *νῦν δὲ πολλαῖς ἡμέραις ὕστερον μοχθηρῷ ἰατρῷ ἐπιτρεφθεὶς διὰ τὴν τοῦ ἰατροῦ μοχθηρίαν καὶ οὐ διὰ τὰς πληγὰς ἀπέθανε. προλεγόντων γὰρ αὐτῷ τῶν ἄλλων ἰατρῶν, εἰ ταύτην τὴν θεραπείαν θεραπεύσοιτο, ὅτι ἰάσιμος ὢν διαφθαρήσοιτο, δι' ὑμᾶς τοὺς συμβούλους διαφθαρεὶς, ἐμοὶ ἀνόσιον ἔγκλημα προσέβαλεν.* Reus igitur eo vel maxime gravatur, quod adversarii senem, cui diligentissima ad sananda illa in certamine illata vulnera opus fuisset curatione, pravo malaeque notae medico curandum tradiderint. Quid factum oportuerit, indicant verba, quibus, quid male fecerint, eis ante oculos ponit: *πολλαῖς ἡμέραις ὕστερον — μοχθηρῷ ἰατρῷ ἐπιτρεφθεὶς —*

διὰ τὴν τοῦ ἰατροῦ μοχθηρίαν — εἰ ταύτην τὴν θεραπείαν θεραπεύσοιτο, e quibus nemo non intellegit, reum voluisse, *statim* senex traditus esset *bono*, quique homini saucio viribusque confecto mederi potuisset medico. Quod igitur reus, utpote per se satis perspicuum, silentio praeteriit, id ex sua parte accusator consulto et quidem sophistica disserendi ratione usus abscondere conatur. Accusator enim ita totam rem describit, quasi post infelix illud certamen duae, quae iniri possent, fuerint agendi rationes, scil. ut aut medicus, qui vulnera curaret, arcesseretur, aut, utrum sanitatem recuperaret senex an minus, soli fortunae committeretur. Et sane, iure suo exspectare potuit, fore ut, si rem in eum modum narrasset, iudices non nimis anxie singula dicta examinantes, quae fecisset et diceret probarent. At nos, qui quiete et diligenter singula verba perpendimus, non ita facile decipere potest. Neminem enim praeterit, eum de tertio illo tacuisse, scil: cum medicus advocandus esset, eligi potuisse aut, qui prava curatione imbecillum pessumdaturus, aut, qui eum perite tractans apta medicina sublevaturus esset. Ita id ipsum, quod reus crimini verterat, accusatorem adhibuisse *μοχθηρὸν ἰατρόν*, silentio abscondit, quod etiam in sequentibus consulto celari videmus, cum dicitur: *πῶς ἂν ἄλλος τις ἢ ὁ βιασάμενος ἡμᾶς χρῆσθαι αὐτῷ φονεὺς εἴη ἄν.* Hoc igitur est, quod nostro loco accusatorem dixisse puto: quod reus, cum per medicum senem mortuum esse perhibet, mihi id crimini det, valde miror, nam mea culpa eum morti occubuisse, sine dubio etiam dixisset, si vulneratum medico curandum non tradidissem, utique ergo eius mortem in meam

conferre voluit culpam; hoccine ferendum est? Quapropter equidem non dubito, quin codex N interpolatus sit a quodam lectore, qui quomodo se res haberet, minus perspiciens, fictam a se difficultatem removere studuit addita negatione *οὐχ*.

Data occasione attentum velim, quam male in sequentibus, quae a verbis: *εἰ δέ τοι καὶ ὑπὸ τοῦ ἰατροῦ ἀπέθανεν* incipiunt, se habeat pronomen *αὐτός*, in una eademque verborum periodo quater adhibitum. Cum enim primum illud *αὐτοῦ* ad senem spectet, cetera autem tria, quae sequuntur pronomina: *αὐτόν*, *αὐτῷ*, *αὐτῷ* ad unum medicum referenda sint, ego paenultimum illud *αὐτῷ*, quia salva sententia abesse potest, quam maxime suspectum habeo. Dici enim vix potest, quoties talia pronomina a grammaticis addita sint, ut rectissime monet H. Sauppius ep. crit. pag. 36.

δ. § 2. *ὁ μὲν οὖν διώκων οὐκ εἰκόσι τεκμηρίοις χρώμενος τοῦτον τὸν ἄρξαντά φησιν εἶναι. εἰ μὲν γὰρ ὥσπερ βλέπειν μὲν τοῖν ὀφθαλμοῖν ἀκούειν δὲ τοῖς ὠσίν, οὕτω κατὰ φύσιν ἦν ὑβρίζειν μὲν τοὺς νέους, σωφρονεῖν δὲ τοὺς γέροντας, οὐδὲν ἂν τῆς ὑμετέρας κρίσεως ἔδει· αὐτὴ γὰρ ἡ ἡλικία τῶν νέων κατέκρινε.* Rei amici impugnant igitur hoc loco ea, quae accusator *γ.* § 2. protulerat: iuvenem initium fecisse rixae, petulanter enim et iniquis manibus alterum aggredi iuvenum magis esse quam senum. Atqui, pergit orator, si omnium iuvenum proprium esset ferocire omniumque senum prudenter agere, nullis porro opus esset iudiciis, nam ipsa iuventus condemnaret adolescentem. Cum autem revera multi iuvenes prudenter multique senes superbe agentes inveniantur, iuvenes non sunt in peri-

culo, ne, quod iuvenes sint, condemnentur, et vestris, iudicum, iudiciis quam maxime est opus. Hinc apparet, non legendum esse: *αὐτὴ γὰρ ἡ ἡλικία τῶν νέων κατέκρινε*, sed *κατέκρινε<ν ἄν>*.

Ceterum, quasi in praetereundo h. l. adnotatum velim, me parum perspicere quidnam sit causae, cur Blassius Jernstedtiusque codicis N scripturam exhibeant, coniungentes dualis formam: *τοῖν ὀφθαλμοῖν* cum, quod plurali numero debetur: *τοῖς ὠσίν*. Reiskius, qui codicis A scripturam: *τοῖς ὀφθαλμοῖς* tuetur, tacite supplet: *πᾶσιν ἐστὶ κατὰ φύσιν*, sed ad evitandum, qui hac ratione existit, durum sententiarum conexum, mox particulam *καί* interponit verbis *οὕτω κατά*. Equidem an e tradita codicum lectione melius quid extundere possem periculum feci, nihil autem mihi magis arridet, quam reponere id, cuius vestigium codex N servavit, dualis dico numeri formas: *ὀφθαλμοῖν* et *ὤτοιν*; nam, quomodo utriusque numeri formam salva sententia coniungere possimus, frustra elaboro.

§ 3. *εἴ τε γὰρ ὁ πατάξας, διὰ τὴν πληγὴν βιασάμενος ὑμᾶς ἐπιτρεφθῆναι ἰατρῷ, μᾶλλον τοῦ ἀποκτείναντος φονεύς ἐστιν, ὁ ἄρξας τῆς πληγῆς φονεὺς γίγνεται.* Postquam Reiskius, iure offensus oratione, cui alterum membrum, ad quod referatur illud *εἴ τε*, desit, in adnotatione ad hunc locum multa disseruit de lacuna, quam adesse suspicabatur, postea in accessionibus suis ad Antiphontem via, quam ad tollendam difficultatem inierat, deserta, pro vocula *εἴ τε* simplicem particulam *εἰ* reponi iussit. Hanc coniecturam viri docti amplecti quam cum Maetznero alterum ab oratore suppressum esse membrum statuere malunt. Nec ego Reiskio con-

sentire dubitarem, nisi id me retineret, quod nec, unde particula *τε* invehi potuerit satis perspicio, et memoria teneo, Antiphontem particulam *εἰ*, si id, quod sequitur, procul sit dubio nec a quoquam oppugnetur, addita quadam vocula corroborare et intendere solere. Idcirco hoc quoque loco in eum finem particulam quandam adiectam fuisse voculae *εἰ* quam maxime persuasum habeo, et cum perpendo, quidnam aptissime pro illo *τε* reponi queat, nihil melius placet, quam particula *περ*, quae perfacile ante *γάρ* in id, quod nunc libri exhibent, corrumpi potuit. Utque videas hanc particulam et alibi in Antiphontis reliquiis eo munere fungi, conferas quaeso III. *β*. § 5: *ὁ δὲ παῖς εἴπερ ἑστὼς φανερὸς ὑμῖν ἐστὶ μὴ βληθείς, ἑκουσίως <δ'> ὑπὸ τὴν φορὰν τοῦ ἀκοντίου ὑπελθὼν, ἔτι σαφεστέρως δηλοῦται διὰ τὴν αὑτοῦ ἁμαρτίαν ἀποθανών.* V. § 48: *εἴπερ γὰρ καὶ μαρτυρεῖν ἔξεστι δούλῳ κατὰ τοῦ ἐλευθέρου τὸν φόνον, καὶ τῷ δεσπότῃ, ἂν δοκῇ, ἐπεξελθεῖν ὑπὲρ τοῦ δούλου, καὶ ἡ ψῆφος ἴσον δύναται τῷ δοῦλον ἀποκτείναντι καὶ τῷ ἐλεύθερον, εἰκός τοι καὶ ψῆφον γενέσθαι περὶ αὐτοῦ ἦν, καὶ μὴ ἄκριτον ἀποθανεῖν αὐτὸν ὑφ' ὑμῶν.* V. § 51: *καὶ μὲν δὴ τὰ ἐξ ἴσου γενόμενα <πρὸς> τοῦ φεύγοντός ἐστι μᾶλλον ἢ τοῦ διώκοντος, εἴπερ γε καὶ τῶν ψήφων ὁ ἀριθμὸς ἐξ ἴσου γενόμενος τὸν φεύγοντα μᾶλλον ὠφελεῖ ἢ τὸν διώκοντα.* Conferas etiam, quae de hac particula disseruit Wetzellius: „Programm des gymnasium „Fridericianum" zu Laubach." Frankfurt a/M. 1879 pag. 25 seq.

Ceterum memoratu dignum puto, duos viros, eosque de Antiphontis orationibus optime meritos, Reiskium et Kayserum dico, adeo consensisse de hoc loco corri-

gendo, ut eadem fere proferrent, prolataque in eadem mutarent. Nam Reiskius prius ob vocabulum *εἴτε* lacunam adesse statuit, postea autem, hac opinione reiecta, particulam *τε* delendam et in sequentibus verba *φονεύς ἐστιν* ad *ὁ πατάξας* addenda statuit; Kayserus autem, Mus. Rhen. XII pag. 240. alterum requirebat membrum, quod a vocula *εἴτε* institueretur, scil.: *εἴτε ὁ ἐπιβουλεύσας κατὰ τὸν νόμον φονεὺς γίνεται*, deinde vero l.l. XVI pag. 72 particulam *τε* delendam et verba: *μᾶλλον τοῦ ἀποκτείναντος* post *φονεύς ἐστιν* transponenda censuit. Et iure suo viri illi doctissimi duplicem hanc inire potuerunt rationem ad emendandum locum, qui plus una difficultate laborat. Nam quod dicta postea rescinderunt aliaque in eorum locum substituerunt, recte ita fecerunt, cum dies semper doceat diem: utique melius, quam Linderus, qui *τὸν πατάξαντα* ad senem, *τὸν δὲ βιασάμενον* ad iuvenem referens admodum infeliciter coniecit: *εἴτε ὁ πατάξας — εἴτε ὁ βιασάμενος.* Hunc Reiskii explicatio meliora edocere poterat et, ne istius coniecturae auctor existeret, prohibere, quoniam in eius lectione verba: *μᾶλλον τοῦ ἀποκτείναντος φονεύς ἐστιν*, sive ad illud sive ad hoc membrum referantur, omni carent sensu. Quamvis igitur recte mihi in universum sententia a viris illis doctissimis restituta videatur, tamen ipse conexus in hac saltem loci parte, quae magna cum emphasi efferenda est, nimis invalidus iustoque infirmior est, quod nec Spengelius non perspexit, qui verba *μᾶλλον τοῦ ἀποκτείναντος* (vel *πατάξαντος*) ante *φονεὺς γίγνεται* poni iussit. Cf. Mus. Rhen. XVII pag. 176. Sed valde vereor, ut haec coniectura multis placeat, cum et ipse transitus ad *μᾶλλον τοῦ πατά-*

ξαντος, post quae aliquid ut πολύ vel ἔτι desideramus, paulo durior sit, et ipsa transpositio cum coniectura non ita levi coniuncta, iure nonneminem haesitantem reddere possit. Equidem suspicor, post vocem ἰατρῷ aposiopeseos signo posito, sublataque ante ὁ ἄρξας interpunctione, verba φονεὺς γίγνεται uncinis includenda esse. Librarius quidam, qui aposiopesin illam parum perspiciens orationem pergere putavit, post ὁ ἄρξας τῆς πληγῆς repetivit illud φονεύς ἐστιν, ne vero nimis ingrata evaderet repetitio, pro verbo ἐστιν substituit γίγνεται. Et quod ad ipsam illam aposiopeseos figuram, ea, si quo alibi, hoc loco recte se habet, ubi efficit, ut oratorem, qui amicum suum innocentem fingit, quasi horrentem videamus eloqui triste illud, quodque evitari solebat vocabulum. Et ecce, claro nunc apparet, unde vitium contraxerit Infinitivus ἐπιτρεφθῆναι, pro quo Reiskius iam restituit id, quod solum ferri potest, ἐπιτρέψαι. Idem enim, qui reliqua corrupit sciolus, nesciens, quisnam esset ὁ πατάξας καὶ βιασάμενος, secum reputavit, τὸν ἀποκτείναντα utique esse iuvenem accusatum, ita ut ὁ πατάξας, ὃς μᾶλλον τοῦ ἀποκτείναντος φονεύς ἐστιν, nemo esse posset nisi senex, senem autem coegisse amicos suos, non alterum quendam tradere, sed ut ipse traderetur medico. Ita pro falsa, qua nitebatur basi, ei opus erat mutato verbo ἐπιτρέψαι in ἐπιτρεφθῆναι. Hoc modo mihi videor iusta mutatione et locum correxisse et loci conexum affatim corroborasse; itaque mittere licebit Kayseri coniecturam (qui vir doctissimus praeter ea, de quibus iam disputavimus, etiam χρῆσθαι aut συμβουλεῦσαι post βιασάμενος addendum proposuit), neque requiritur

transpositio proposita a Spengelio, quem Infinitivo *ἐπιτρεφθῆναι* non offensum esse miror.

Gratum mihi erat, cum animadverterem, Spengelium legendo: *τοῦ πατάξαντος* pro: *τοῦ ἀποκτείναντος* eandem proferre coniecturam, in quam et ipse quondam incidissem. Nam ne evanesceret aut deminueretur vis, quae loco inesset, aut reponendum putabam: *ὁ πατάξας — τοῦ πατάξαντος* aut *ὁ ἀποκτείνας — τοῦ ἀποκτείναντος*, quorum prius praeferebam, quod, quantopere Graeci verba malae notionis, praecipue in rebus ad iudicia spectantibus, evitare soleant, nemo non ignorat. Sed postea hanc coniecturam omittendam iudicavi, quod in hoc altero membro ipsa necandi notio quam maxime sit urgenda.

Ibidem: ἀνόσια γὰρ ⟨ἂν⟩ ὁ διωκόμενος πάθοι, εἰ μήτε ἀποκτείνας ὑπὲρ τοῦ ἀποκτείναντος μήτε ἄρξας ὑπὲρ τοῦ ἄρξαντος φονεὺς ἔσται. Male me habet, quotiescumque haec verba mente perlustro, particula *γάρ*, quae, quomodo hoc loco explicanda sit, nescio. Quamvis enim late in Antiphontis orationibus huius voculae usus pateat, tamen non quovis loco adhiberi potest, ita ut mihi facile persuadeam, aut corruptam esse particulam *γάρ*, aut id, ad quod referenda sit, excidisse. Cum autem, cur hoc alterum statuam, non satis causae adesse putem, nihil iam restat, nisi ut Jernstedtio, qui observ. Antiph. pag. 19. voculam *γάρ* coniectura removere studuit, socium me adscribam. Attamen vereor, ne vir doctissimus non recte agat rescribens *δ'*, licet haec particula cum *γάρ* in libris MSS confusa sit. Nam ea, quae sequuntur prioribus non per particulam adversativam opponenda, sed conclusionis loco addenda sunt,

ita ut potius desideretur vocula, ab Antiphonte in talibus saepissime adhibita, *οὖν*. Praeferrem autem particulam *ἄρ'*, nisi uno tantum loco in Antiphonteis eam exstare viderem, scil. VI. § 1, nam VI. § 35 Baiterus pro codicum *ἄρ'* correxit: *γάρ*.

Haec sunt, quae in medium proferre habebam de particula *γάρ*; num tamen verum viderim, dubito, quoniam non solum haec particula in textu tradito molesta est, sed praeterea vocula *ἄν* a codicibus abest et pro *ὁ* traditum est *ὅδε*, quas tres difficultates, utinam omnes uno remedio removere possem.

V.

§ 8. *πρῶτον μὲν οὖν, ὡς παρανομώτατα καὶ βιαιότατα εἰς τόνδε τὸν ἀγῶνα καθέστηκα, τοῦτο ὑμᾶς διδάξω, οὐ τῷ φεύγειν ἂν τὸ πλῆθος τὸ ὑμέτερον, ἐπεὶ κἂν ἀνωμότοις ὑμῖν καὶ μὴ κατὰ νόμον μηδένα ἐπιτρέψαιμι περὶ τοῦ σώματος τοῦ ἐμοῦ διαψηφίσασθαι, ἕνεκα γε τοῦ πιστεύειν ἐμοί τε μηδὲν ἐξημαρτῆσθαι εἰς τόδε τὸ πρᾶγμα καὶ ὑμᾶς γνώσεσθαι τὰ δίκαια, ἀλλ' ἵνα ᾖ τεκμήρια ὑμῖν καὶ τῶν ἄλλων πραγμάτων τῶν εἰς ἐμὲ ἡ τούτων βιαιότης καὶ παρανομία.* i. e. ante omnia vos docebo, iudices, quam illegitime quamque violenter in hoc adductus sim iudicium, non quo defugiam multitudinem vestram, sed ut istorum violenta et illegitima agendi ratio vobis documento sit ceterarum quoque, quas contra me egerunt, rerum. Primo iam statim adspectu apparet, quam abundanter adiecta

sint illa: ἡ τούτων βιαιότης καὶ παρανομία, quae, num tolerari possint, ut decernamus, paulo accuratius verba inspicienda sunt. Huc igitur redire videmus argumentationem: equidem vobis unum male eorum agendi rationis promam exemplum, ut universa eorum male agendi ratio vobis documento sit ceterarum, quas contra me egerunt rerum. Ut autem haec argumentatio sola ex tradita codicum lectione effici potest, ita falsam eam esse nemo non videt. Utique ergo removenda erunt ultima illa: ἡ τούτων βιαιότης καὶ παρανομία. His autem deletis, recte se habet vocabulum τεκμήρια, quod Reiskius mutabat in τεκμήριον. At res nondum absoluta est, nam quid sibi velint verba: τῶν ἄλλων πραγμάτων, cuiusque generis πράγματα indicentur, id etiamnunc obscurum manet. Ceterum animadvertendum est, codices praebere: καὶ τῶν εἰς ἐμέ, quae Maetznero causa erat, cur excidisse putaret aliquid, ut: τῶν εἰς τοὺς ἄλλους πολίτας. Sed ut aliorum, quae in alios cives commiserit, commemoratio ab hoc loco aliena est, ita in sequentibus nihil est, quod Maetzneri coniecturam probabilem reddat. Melius mihi vir doctissimus voc. πραγμάτων circumscribere videtur per: quae commiserunt vel deliquerunt, quamquam, num talis notio vocabulo πραγμάτων iure attribui possit, quam maxime dubito. Ego potius hoc modo lacunam explerim totamque ita constituerim sententiam, ut legam: ἀλλ' ἵνα ᾖ τεκμήρια ὑμῖν καὶ τῶν ἄλλων π α ρ α ν ό μ ω ν καὶ <βιαίων> τῶν εἰς ἐμέ. Qua coniectura omnes, ut opinor, removentur difficultates; nam cum recte se habet sententia: „unum vobis ex eorum in me factis demonstrabo, quo cetera discere possitis", tum, quomodo

vitia orta sint, indicare possumus. Videtur enim lector quidam, arbitratus, subiectum deesse verbis: *ἵνα ᾖ ὑμῖν*, adiecisse inutilia illa: *ἡ τούτων βιαιότης καὶ παρανομία*, cum vero intolerabilia iam viderentur verba: *παρανόμων καὶ βιαίων*, haec deinde corrupta esse facile credimus. — Fortasse autem ad genuinam lectionem propius accedemus, si legemus: *ἀλλ' ἵνα ᾖ τεκμήριον ὑμῖν καὶ τῶν ἄλλων ⟨ἃ⟩ πραγματεύεται εἰς ἐμὲ ἡ τούτων βιαιότης καὶ παρανομία.*

Ceterum iterum atque iterum monitum velim, me hanc et alias eiusmodi coniecturas non ut certas proferre, sed id tantummodo indicare studere, quomodo difficultates, quibus offendar, facillime removeri posse putem.

§ 10. *φασὶ δὲ αὐτό γε ⟨τὸ⟩ ἀποκτείνειν μέγα κακούργημα εἶναι, καὶ ἐγὼ ὁμολογῶ μέγιστόν γε, καὶ τὸ ἱεροσυλεῖν καὶ τὸ προδιδόναι τὴν πόλιν·* legendum puto: *φασὶ δὲ αὐτὸ τἀποκτείνειν μέγα κακούργημα εἶναι, καὶ ἐγὼ ὁμολογῶ· μέγιστόν τε καὶ* q. s.

§ 11. *ἔπειτα δέ, ὃ πάντας οἶμαι ὑμᾶς ἐπίστασθαι, ἅπαντα τὰ δικαστήρια ἐν ὑπαίθρῳ δικάζει τὰς δίκας τοῦ φόνου, οὐδενὸς ἄλλου ἕνεκα ἢ ἵνα τοῦτο μὲν οἱ δικασταὶ μὴ ἴωσιν εἰς τὸ αὐτὸ τοῖς μὴ καθαροῖς τὰς χεῖρας, τοῦτο δὲ ὁ διώκων τὴν δίκην τοῦ φόνου ἵνα μὴ ὁμωρόφιος γίγνηται τῷ αὐθέντῃ.* Rectissime ab Herwerdeno deleta iam est particula *ἵνα* ante verba: *μὴ ὁμωρόφιος γίγνηται τῷ αὐθέντῃ*, quod hoc vocabulum in initio positum pariter spectat ad utrumque a *τοῦτο μέν* et *τοῦτο δέ* institutum membrum. Sed praeteriit virum excellentissimum, eandem ob causam suspecta esse, quae praecedunt verba: *τὴν δίκην τοῦ φόνου*,

quoniam illa in initio sententiae posita: *ἅπαντα τὰ δικαστήρια ἐν ὑπαίθρῳ δικάζει τὰς δίκας τοῦ φόνου*, satis docent, sermonem tantum esse de iudiciis, quae de caede fiant. Quare censeo verba *τὴν δίκην τοῦ φόνου ἵνα* quantocius e textu eliminanda esse, utpote adiecta a lectore quodam, qui hic illic verba e vicinia prompta inserere soleret, qua de re conferas, quae Hartmanus „Studia Antiphontea" pag. 8 observavit ad § 4.

Ibidem: σὺ δὲ τοῦτο μὲν παρελθὼν τοῦτον τὸν νόμον τοὐναντίον τοῖς ἄλλοις πεποίηκας· τοῦτο δὲ δέον σε διομόσασθαι ὅρκον τὸν μέγιστον καὶ ἰσχυρότατον, ἐξώλειαν σαυτῷ καὶ γένει καὶ οἰκίᾳ τῇ σῇ ἐπαρώμενον. ἦ μὴν μὴ ἄλλα κατηγορήσειν ἐμοῦ ἢ εἰς αὐτὸν τὸν φόνον, ὡς ἔκτεινα cett. Reiskium, qui in accessionibus suis ad Antiphontea ad hunc locum sub voce *τοὐναντίον* adnotat, mirum se habere, quo iure orator perhibeat, iudicium sub tecto agi, optime refellit Maetznerus, qui ostendit, verba: *ἐν τῇ ἀγορᾷ* § 10 non referenda esse ad *ἐν ὑπαίθρῳ* sed ad *τοὐναντίον*, quod vocabulum ipsum ita esse accipiendum, ut spectet ad dicasterion quoddam aut in foro aut prope forum situm. Nam recte vir doctissimus observat in fori vicinia magnum fuisse dicasteriorum numerum, quo etiam referre potuit *τὸ παράβυστον*, undecimvirorum illud dicasterion, de quo agit oratoris nostri fragm. 42.

§ 14: *καίτοι τούς γε νόμους οἳ κεῖνται περὶ τῶν τοιούτων, πάντας ἂν οἶμαι ὁμολογῆσαι κάλλιστα νόμων ἁπάντων κεῖσθαι καὶ ὁσιώτατα. ὑπάρχει μέν γε αὐτοῖς ἀρχαιοτάτοις εἶναι ἐν τῇ γῇ ταύτῃ*, q. s. Sauppio, totam hanc pericopen, quod paucis mutatis VI § 2. repe-

tita sit, delenti, assentiri non possum. Cuius sententiae gavisus sum me socium habere virum doctissimum Hartmanum, qui l. l. pag. 23 sq. alterum potius locum ex nostro depromptum esse censet. At ut novam, quae hinc oritur, disquisitionem in posterum differamus, utique nostri loci verba genuina puto. Quamquam inest, nisi fallor, vitium; nempe particula *γε* post verba *ὑπάρχει μέν* difficultatis plena est, cum huic loco, ubi per particulam explicativam antecedentia accuratius exponenda sunt, nulla, quae voculae *γε* inest notio, conveniat. Quid sit rescribendum, docet locus modo laudatus VI. § 2, ubi id ipsum exstat, quod hoc loco requiritur: *γάρ*.

§ 16: *ἔπειτα δὲ οὐχ ὡς πιστεύων τῷ πράγματι ἀναμφισβητήτως ἕνα τὸν ἀγῶνα περὶ τοῦ πράγματος ἐποιήσω, ἀλλὰ ἀμφισβήτησιν καὶ λόγον ὑπελίπου ὡς καὶ τοῖσδε τοῖς δικασταῖς ἀπιστήσων*. Orator perhibens accusatorem sese *ἀδίκως ἀπολέσαι* studere, alterum, quod ad hoc demonstrandum profert, argumentum ita in duas partes distribuit, ut in priore, quid adversarius non fecerit, in altera, quid fecerit, doceat. Ita videmus, accusatorem de una eademque causa (nam non puto dubium esse, quin Reiskii *περὶ τοῦ αὐτοῦ πράγματος* rescribentis coniectura probanda sit) non unum parasse iudicium, sed totam accusationem ita instituisse, ut, si reus absolutus esset, altera eius condemnandi superesset occasio. En astutiae viri dolosi et fraudulenti. — Adest igitur oppositio inter verba: *οὐκ ἀναμφισβητήτως ἕνα τὸν ἀγῶνα ἐποιήσω* et *ἀμφισβήτησιν καὶ λόγον ὑπελίπου*. Hucusque omnia recte praecedunt; at si iam accedunt, quae non spectant ad corroborandam oppo-

sitionem eorum, quae *δικαίως* quaeque *ἀδίκως* aguntur, sed novam inter se efficiunt oppositionem, tum tota illa notio *τοῦ ἀδίκως ἀπολέσαι* obscuratur et evanescit. Nam neque *τὸν πιστεύοντα τῷ πράγματι* semper esse *τὸν δικαίως*, neque *τὸν ἀπιστοῦντα τοῖς δικασταῖς* semper *τὸν ἀδίκως* agentem, non est, quod pluribus demonstrem. Ita iniuria Blassius mihi adnotasse videtur, verba *ὡς πιστεύων τῷ πράγματι* opposita esse sequentibus *ὡς ἀπιστήσων τοῖσδε τοῖς δικασταῖς*, ad quod alterum, quod etiam per se spectatum difficultatis plenum est, retinendum, iam opus erat mutata codicum lectione: *τοῖς τότε δικασταῖς* in *τοῖσδε τοῖς δικασταῖς*. At ne sic quidem ferri posse videtur *ἀπιστήσων*, quod utique cum Pahlio mutandum erat in *ἀπιστῶν*, quo mutato etiam requirimus, aut *ὡς ἀπιστῶν τῷ πράγματι* aut *ὡς πιστεύων τοῖσδε τοῖς δικασταῖς*. Intellegis, quanto labore opus sit ad servandum vocabulum, quod servari nolit, ut rectissime perspexit Sauppius, cum infelix illud verbum abire iussit illuc unde infaustum pedem sustulisset. Equidem sic censeo: magistellum quendam, adductum particula adversativa *ἀλλά*, addidisse: *ὡς ἀπιστήσων*, ne careant oppositione, qua opus esse putabat, antecedentia illa: *ὡς πιστεύων τῷ πράγματι*, quae mihi ideo ab oratore adiecta videntur, ut per ea ipsa, quasi in parenthesi collocata, adversarium acerbe et salse laedat atque pungat. Sed quid nunciam faciemus sequentibus, quae eliminatis verbis: *ὡς ἀπιστήσων*, nimis, quam ut integra relinqui possint, curtata sunt? Sauppius, cum legendum conicit: *ἀλλὰ ἀμφισβήτησιν καὶ λόγον ὑπελίπου ὡς κἂν τοῖς τότε δικασταῖς ἀμφισβητήσων*, valde vereor, ne, locum quam lenissima muta-

tione restituere studens, praebeat, quo novis obruamur difficultatibus; „nam absurdum" rectissime inquit Hartmanus „videtur *ἀμφισβήτησιν ὑπελίπου — ὡς ἀμφισβητήσων.*" Quo etiam accedit, quod rixandi locum reliquisse dicendus est, non ut eo utatur *ἐν τοῖς τότε δικασταῖς*, sed statim, postquam absolutus sit reus. Tum enim *ἀμφισβητεῖν* i. e. „ipsam absolutionem irritam reddere" potuit, novam instituendo accusationem. Quod autem Hartmanus offenditur loco, ubi leguntur illa: *ὡς καὶ τοῖς τότε δικασταῖς ἀπιστήσων*, quae ut transponamus suadet post: *ἑλὼν δ' αὖ ἀξιώσεις με ἀποκτεῖναι ὡς τοῦ φόνου τὴν δίκην ὠφληκότα*, in hac re viro doctissimo assentiri non possum, nam, si inter eos, qui audiebant, fortasse unus aut alter parum intellexerat, quinam sint *οἱ τότε δικασταί*, is ex statim subsequentibus perspicere potuit, indicari *τοὺς Ἀρειοπαγίτας*. Nec porro ista transpositione quidquam lucramur, nec, si quid etiam *τῇ εὐφωνίᾳ* tribuendum est, ab hac parte valde arridet: *ὡς τοῦ φόνου τὴν δίκην ὠφληκότα*, *ὡς* cett. Quomodo Antiphontis manus restituenda sit, nescio, sententia autem, quam desideramus est haece: *ἔπειτα δὲ οὐχ* (*ὡς πιστεύων τῷ πράγματι*) *ἀναμφισβητήτως ἕνα τὸν ἀγῶνα περὶ τοῦ* ⟨*αὐτοῦ*⟩ *πράγματος ἐποιήσω, ἀλλ' ὡς ἀμφισβητήσων και*⟨*νὸν*⟩ *λόγον ὑπελίπου ἐν τοῖς τότε δικασταῖς.*

§ 17. *ἔτι δὲ μάλ' ἐδέθην ὦ ἄνδρες παρανομώτατα ἁπάντων ἀνθρώπων.* Rectissime Hartmanus docta disputatione sententias de hoc loco prolatas refutans, animadvertit, sive cum Reiskio post *μάλα* inseras *οἰκτρῶς*, *ἀδίκως* vel tale quid, sive Herwerdeni *ἔτι δὲ μᾶλ*⟨*λον τοῦτ' ἀνιῶμαι ὅτι*⟩*ἐδέθην* proponentis coniec-

turam amplectaris, utique perire emphasin verborum *παρανομώτατα ἁπάντων ἀνθρώπων*. Et revera, hoc ipsum etiam mihi erat, cur aliquando conicerem: *ἔτι δὲ ΑΛΛΑ* (= *ἄλλα*)· *ἐδέθην* cett. Nunc autem, cum vir doctissimus optime docuit, *μάλα* coniungendum esse cum particula *ἔτι*, hanc autem coniunctionem sescentis stabiliri exemplis, non amplius adesse puto, cur Antiphonti derogemus dicendi rationem, quam cum ante, tum post eius aetatem usitatam fuisse videmus.

§ 18. *τούτοις γὰρ ἦν τοῦτο συμφέρον, πρῶτον μὲν ⟨ὡς⟩ ἀπαρασκευότατον γενέσθαι με μὴ δυνάμενον διαπράσσεσθαι αὐτὸν τἀμαυτοῦ πράγματα, ἔπειτα κακοπαθεῖν τῷ σώματι, τούς τε φίλους προθυμοτέρους ἔχειν τοὺς ἐμαυτοῦ τούτοις τὰ ψευδῆ μαρτυρεῖν ἢ ἐμοὶ τἀληθῆ λέγειν διὰ τὴν τοῦ σώματος κακοπάθειαν. ὄνειδός τε αὐτῷ τε ἐμοὶ περιέθεσαν καὶ τοῖς ἐμοῖς προςήκουσιν εἰς τὸν βίον ἅπαντα.* Inter varia, quae in hoc loco aegre fero, primum est, quod in altero enuntiato Infinitivus *κακοπαθεῖν* caret subiecto, quod ut orationi restituatur, inserendum puto pronomen *με* inter *ἔπειτα κακοπαθεῖν* et *τῷ σώματι*

Deinde Jernstedtius, quem Herwerdenus secutus est, seclusit Infinitivum *λέγειν* in verbis: *τούτοις τὰ ψευδῆ μαρτυρεῖν ἢ ἐμοὶ τἀληθῆ λέγειν*. Recte quidem eo indicarunt, verbum *λέγειν* post grave illud *τὰ ψευδῆ μαρτυρεῖν* nimis esse infirmum, quam quod ferri possit, cum praesertim tali verbo addito nihil opus sit. Sed tamen valde dubito, num viri docti sat recte egerint, cum delendo vocabulo *λέγειν* hanc difficultatem summovere conarentur. Tanta enim vi atque emphasi orator haec verba profert, ut fieri non possit, quin ultima

illa verba *τούτοις τὰ ψευδῆ* e. q. s. singula habeant, quod sibi sit oppositum. Ita satis habeo corruptum ducere voc. *λέγειν*, eiusque loco restituere, quod bene in hoc conexu se habet: *ἐλέγχειν*, de quo verbo cf. e. g. § 84: *καὶ οἱ μὲν ἄλλοι ἄνθρωποι τοῖς ἔργοις τοὺς λόγους ἐλέγχουσιν, οὗτοι δὲ τοῖς λόγοις τὰ ἔργα ζητοῦσιν ἄπιστα καθιστάναι.*

In eis, quae sequuntur, Dobraeus, Jernstedtius et Herwerdenus verba *διὰ τὴν τοῦ σώματος κακοπάθειαν*, quod in tradita codicum lectione iustam non praebeant sententiam, deleri iubent, quo facto pergunt per: *ὄνειδος γάρ* cett. At, cum haudquaquam intellego, quid sibi velit particula *γάρ* (cui, si quid sentio, praeferenda esset part. *δέ*), tum periculosissimum iudico, locum difficilem, fortasse corruptum, ita sanare, ut inducamus quaecumque locum difficilem reddant verba. Quid enim impedit, quominus levi mutatione legamus: — *τἀληθῆ ἐλέγχειν· διὰ* <*δὲ*> *τὴν τοῦ σώματος κακοπάθειαν, ὄνειδος αὐτῷ τε* cett.?

Ceterum, ut nihil eorum, quae de hoc loco sentiam, silentio praeteream, quoties haec verba perlustro, displicet mihi illud in initio positum *τοῦτο*, et quidem non, quod duobus tantum verbis, scil. *γὰρ ἦν*, interpositis praecedat idem pronomen *τούτοις*, sed quia vocabulum *τοῦτο* ad sequentia relatum concoquere non possum. Equidem utique praetulerim, aut: *τούτοις γὰρ ἦν συμφέρον, πρῶτον μὲν* <*ὡς*> *ἀπαρασκευότατον* q. s., aut: *τούτοις γὰρ ἦν τοῦτο συμφέρον, πρῶτον μὲν* <*τῷ*> *ἀπαρασκευότατον — ἔπειτα* <*τῷ*> *κακοπαθεῖν* <*με*> q. s. In hac autem altera coniectura pronomen *τοῦτο* non spectare ad sequentia, sed ad ea, quae antecedant, non est, quod pluribus dicam.

Ecquid etiam in sequentibus, deletis verbis: *τοὺς ἐμαυτοῦ*, mutandi sunt dativi: *τούτοις* et *ἐμοί* in accusativos: *τούτους* et *ἐμέ*?

§ 21. *ἡ μὲν πρόφασις ἑκατέρῳ τοῦ πλοῦ αὕτη· ἐτύχομεν δὲ χειμῶνί τινι χρησάμενοι, ὑφ' οὗ ἠναγκάσθημεν κατασχεῖν εἰς τῆς Μηθυμναίας τι χωρίον, οὗ τὸ πλοῖον ὥρμει τοῦτο εἰς ὃ μετεκβάντα φασὶν ἀποθανεῖν αὐτόν* [*τὸν Ἡρῴδην*]. Praeeunte Reiskio, qui adnotat, aut delendum esse *τὸν Ἡρῴδην*, aut vocabulum *αὐτόν* commutandum cum: *οὗτοι*, sequentes editores nomen *τὸν Ἡρῴδην* utpote emblema e textu removerunt. Et iure quidem suo id facere potuerunt, cum incredibile sit dictu, quam saepe talia additamenta e scholio nata in textum inrepserint. Quamquam ad id demonstrandum Blassius non debuit conferre § 77 verba: *τῷ ἐμῷ πατρί*, quae, licet a Dobraeo et Herwerdeno deleantur, ab aliis viris doctis, aliter loco medentibus, servantur. Rectius, si quid sentio, afferri poterat voc. *οὗτοι*, quod, pro *αὐτόν* positum, quo legitur loco displicet; adde quod illud *φασίν* et similia nullo addito subiecto de adversariis dici solent, ita ut inutile sit pronomen *οὗτοι*, cf. § 20: *ὅν φασιν ὑπ' ἐμοῦ ἀποθανεῖν*. § 26: *λέγουσι δὲ ὡς ἐν μὲν τῇ γῇ ἀπέθανεν ὁ ἀνήρ* cett. § 28: *ἀλλ' ὡς κατεποντώθη λέγουσιν*. ibidem: *νῦν δὲ ἐν μὲν ᾧ ἔπινε πλοίῳ καὶ ἐξ οὗ ἐξέβαινεν, ἐν τούτῳ φασὶν εὑρεῖν σημεῖα* q. s. § 39: *ἔτι δὲ καὶ τάδε λέγουσιν* cett. alibique passim. Nec tamen audacter nomen *τὸν Ἡρῴδην* deletum velim, nam, si quo alio, hoc certe loco, ubi orator indignabundus ob turpe et iniquum in se prolatum crimen ipsius quasi accusationis verba repetit, bene se habet nomen interemti, cum vi efferendum. At aliud

est, quod ab hoc loco abesse molestissime fero, scil. id, in quo tota versatur accusatio: nempe ab eo, qui verba facit, virum necatum dici. Id quod additum invenimus loco modo laudato § 20: *ὅν φασιν ὑπ' ἐμοῦ ἀποθανεῖν* et § 54: *ἡ μὲν βάσανος ᾧ ἄνδρες τοιαύτη γεγένηται, ᾗ οὗτοι πιστεύοντες εὖ εἰδέναι φασὶν ὑπ' ἐμοῦ ἀποθανόντα τὸν ἄνδρα.* Talibus fretus, non nimis audacter me agere puto cum conicio: *φασὶν ἀποθανεῖν ὑπ' ἐμοῦ τὸν Ἡρώδην.*

§ 22. *οὔτ' αὖ ἐπειδὴ ὡρμισάμεθα, ἡ μετέκβασις ἐγένετο εἰς τὸ ἕτερον πλοῖον οὐδενὶ μηχανήματι οὐδ' ἀπάτῃ, ἀλλ' ἀνάγκῃ καὶ τοῦτο ἐγίγνετο. ἐν ᾧ μὲν γὰρ ἐπλέομεν, ἀστέγαστον ἦν τὸ πλοῖον, εἰς ὃ δὲ μετέβημεν, ἐστεγασμένον· τοῦ δὲ ὑετοῦ ἕνεκα ταῦτ' ἦν.* Orator sese dicit non sine iusta causa sed necessitate coactum et navigationem suscepisse et, cum in mari esset, navem ad locum quendam appulisse; ipsas autem causas, quae sese, ut ita faceret, coegerint, adferre supersedit, quod eas in antecedentibus iam satis superque commemorasset, scil. § 20: *ἐπλέομεν δὲ εἰς τὴν Αἶνον, ἐγὼ μὲν ὡς τὸν πατέρα — ἐτύγχανε γὰρ ἐκεῖ ὢν τότε —, ὁ δ' Ἡρώδης ἀνδράποδα Θρᾳξὶν ἀνθρώποις ἀπολύσων* et § 21: *ἐτύχομεν δὲ χειμῶνί τινι χρησάμενοι, ὑφ' οὗ ἠναγκάσθημεν κατασχεῖν εἰς τῆς Μηθυμναίας τι χωρίον* q. s. Cum autem deinde addit: sese et Herodem nova, quae orta esset necessitate, coactos esse, ut ex nave, qua eousque usi essent, in aliam transcenderent, parum, ut opinor, se hoc coactos esse, nobis persuadet, cum docet: *ἐν ᾧ μὲν γὰρ ἐπλέομεν* cett. Curnam iis opus erat navi constrata? Ipsa huius rei causa, si quid sentio, ante omnia proferenda erat. Huc accedit,

quod illa: τοῦ δὲ ὑετοῦ ἕνεκα ταῦτ' ἦν, in quibus Hartmanus iam reprehendit vocabulum ταῦτα, mihi, nescio quomodo, displicent. Audacter quidem, sed tamen recte me agere puto, legendo: ἀλλ' ἀνάγκῃ· τοῦ γὰρ ὑετοῦ ἕνεκα τοῦτο εγίγνετο (vel omisso pronomine τοῦτο: ἐγένετο scil. ἡ μετέκβασις). ἐν ᾧ μὲν γὰρ ἐπλέομεν, ἀστέγαστον ἦν τὸ πλοῖον, εἰς ὃ δὲ μετ‹εξ›έβημεν (ita enim cum Herwerdeno legendum pro tradito μετέβημεν) ἐστεγασμένον. τούτων δ' ὑμῖν‹τοὺς› μάρτυρας παρέξομαι.

§ 23. καὶ εἴ τῳ τῶν ἄλλων ἐδόκει δεινὸν εἶναι, καὶ ἐμοὶ ὁμοίως. Recte Herwerdenus Mnem. XI pag. 210 delevit vocabulum ὁμοίως. Sed etiam tum oratio mihi paulo durius procedere videtur; quae duritas fortasse mitigabitur, si virgula ante ἐδόκει posita, legemus: καὶ εἴ τῳ τῶν ἄλλων, ἐδόκει δεινὸν εἶναι καὶ ἐμοί.

§ 24. καὶ ἄλλου οὐδενὸς ἐθέλοντος βαδίζειν, οὔτε τῶν ἀπὸ τοῦ πλοίου οὔτε τῶν αὐτῷ τῷ Ἡρῴδῃ συμπλεόντων, ἐγὼ τὸν ἀκόλουθον τὸν ἐμαυτοῦ πέμπειν ἕτοιμος ἦ· καίτοι οὐ δήπου γε κατ' ἐμαυτοῦ μηνυτὴν ἔπεμπον εἰδώς. Non recte Reiskius adnotat: τῶν ἀπὸ τοῦ πλοίου scil. εἰς ὃ μετέβημεν, hominum illo navigio, in quod transcenderamus, iam ante vectorum, quam nos illuc transmigrassemus. Nec melius mihi placet Maetzneri explicatio, qui ea verba tam ad nautas, quam ad homines ea navi vectos spectare ait. Adest potius ea dicendi ratio, eaque haud tam rara, ex qua e. g. οἱ ἀπὸ πλοίου significat nautas, ut οἱ ἀπὸ βήματος oratores, οἱ ἀπὸ σκηνῆς histriones, οἱ ἀπὸ βουλῆς senatores, οἱ ἀπὸ λόγων viros doctos. Ex his exemplis simul videmus, inter praepositionem ἀπό et genetivum rei a praepositione pendentem, inseri non solere articulum. Quod si tamen fit

ut hoc loco in: *τῶν ἀπὸ τοῦ πλοίου*, non amplius indicatur totum genus eorum, quos genetivus rei designat, non nautae in universum, sed ei solummodo, qui pertinent ad navem, de qua sermo est, ita ut verba *τῶν ἀπὸ τοῦ πλοίου* potius valeant: eorum, qui ad navem, in quam transcenderamus, pertinebant, i. e. nautas cum ministris. — Nemo ergo paratus erat proficisci, neque eorum, qui navem administrabant, neque eorum, qui eadem ac Herodes utebantur navi. — At, quinam erant hi alteri? Nonne etiam ei, qui verba facit, *συμπλέοντες* erant? Proferuntur enim verba: *αὐτῷ τῷ Ἡρῴδῃ* tanta cum vi, ut vel inviti de unius Herodis comitibus sermonem esse credamus. Ad hanc difficultatem altera accedit, eaque sita in ipsa, quae adesse debet, oppositione. Nam recte quidem dicitur: ego paratus eram meum mittere pedisequum, cum nemo ire vellet *τῶν ἀπὸ τοῦ πλοίου* i. e. servorum, aut certe ex infima gente hominum; at, postquam dixit, nec quemquam ire voluisse eorum, qui praeterea cum Herode navigarent, pergendum erat: tum equidem proficisci paratus eram, non autem: *ἐγὼ τὸν ἀκόλουθον* q. s.; quando quidem non idem valet: ipsum ire et servum suum mittere, nec omnino dictum est: *τοὺς συμπλέοντας* suos ipsorum servos mitti recusasse. Ecce, haud paucae, quae traditae lectioni obstant difficultates, quas tamen omnes summoveri puto, si legimus: *οὔτε τῶν αὐτοῦ τοῦ Ἡρῴδου συμπλεόντων* i. e. neque quisquam ipsius Herodis servorum, una nobiscum navigantium. Sin autem quis fortasse participium *συμπλεόντων* abesse mavult, equidem non valde refragabor.

Ceterum, quamvis sciam, recte se habere verba *καίτοι*

οὐ δήπου — εἰδώς, iustamque ea admittere explicationem, tamen, recordans saepe in Antiphontis reliquiis cum alias voculas, tum praecipue excidisse particulam *ἄν*, et h. l. praestare putem: *ἔπεμπον<ἄν> εἰδώς*.

§ 25. *πρῶτον μὲν γὰρ πρὶν ἀνάγεσθαί με εἰς τὴν Αἶνον, ὅτε ἦν ἀφανὴς ὁ ἀνήρ, οὐδεὶς ἠτιάσατό με ἀνθρώπων, ἤδη πεπυσμένων τούτων τὴν ἀγγελίαν· 'οὐ γὰρ ἄν ποτε ᾠχόμην πλέων*. Scire pervelim, quid Herwerdenum impulerit, ut *εἰς τὴν Αἶνον* tamquam emblema deleret, cum tamen hoc vocabulum et bene conveniat Antiphontis fuse dicendi rationi, neque quidquam offensionis praebeat. Mihi potius sequentia *ὅτε ἦν ἀφανὴς ὁ ἀνήρ* difficultatem alere videntur, quod tempus, quo nemo sese accusaverit, orator satis designavit verbis: *πρὶν ἀνάγεσθαί με εἰς τὴν Αἶνον*, ita ut seqq.: *ὅτε ἦν ἀφανὴς ὁ ἀνήρ* plane abundent, et quidem ita abundent, ut id tantum dicant, quod aliter fieri omnino non potuerit. Quomodo enim reus eo tempore, quo Herodes integer aderat, hunc necasse accusari potuerat? Apage talia pueriliter addita.

Nemo igitur adversariorum accusavit reum tum temporis, etsi iam acceperant nuntium. Quisnam est ille nuntius, qui nullis amplius additis ut omnibus cognitus proponitur? Semel tantum in eis, quae praegrediuntur de hoc nuntio sermo est, scil. sub finem § 23: *καὶ εἴς γε τὴν Μυτιλήνην ἐγὼ αἴτιος ἦ πεμφθῆναι ἄγγελον, καὶ τῇ ἐμῇ γνώμῃ ἐπέμπετο·* Sed neutro loco, quid nuntius attulisset, dictum est.

Utramque mihi videor difficultatem removere legendo: *πρῶτον μὲν γὰρ πρὶν ἀνάγεσθαί με εἰς τὴν Αἶνον, οὐδεὶς ἠτιάσατό με ἀνθρώπων, ἤδη πεπυσμένων τούτων*

τὴν ἀγγελίαν, *ὅτι ἀφανὴς εἴη* (vel *ἐστιν*) *ὁ ἀνήρ· οὐ γὰρ ἄν ποτε ᾠχόμην πλέων*. Nam ita mihi per semicoli signum interpungendum videtur post *πλέων*, quia verba: *οὐ γὰρ ἄν ποτε ᾠχόμην πλέων* quasi parentheseos loco addita sunt.

§ 35. *τούτων δὲ μάρτυράς μοι κάλει*. Scire pervelim, quid sit, cur Antiphon constanter in formula *παρέξομαι* vel *παρασχήσομαι τοὺς μάρτυρας*, articulum addat, omittat autem in verbis: *κάλει μάρτυρας*. Si enim nostrum esset, articulum aut addere aut omittere, libenter audirem Schoemannum, qui ad Isaeum pag. 190 adnotat: „qui scribam excitat ad testes advocandos, certos quosdam et qui huic noti sint citari iubet, quamobrem articulum addi orationis leges flagitant." Cum autem procul dubio hac in re multum tribuendum sit usui, et quidem uniuscuiusque scriptoris usui, investigatum velim, curnam varii scriptores in una eademque formula adhibenda tam vehementer inter se discrepent. Antiphon enim, si quidem Reutzelio, exercitationum criticarum pag. 66, nostrae orationis § 22 voculam *τούς* excidisse statuenti, assentiemur, ubique articulum addit in locutione: *παρέχεσθαι τοὺς μάρτυρας*, omittit autem in formula: *κάλει μοι μάρτυρας*, quae bis tantum adhibetur § 35 et § 56. At si inspicias Andocidis orationes, reperies ubique in hac altera formula, nam priorem illam sprevisse videtur, adesse articulum, scil. *περὶ τῶν μυστηρίων* §§ 28. 123. 137; Isaeus vero, qui constanter addit articulum in hac formula, in altera: (*τοὺς*) *μάρτυρας παρέχεσθαι* voculam *τούς* tam saepe omittit quam addit. Quod ad Lysiam: quinque locis in eius orationibus exstat for-

mula: *κάλει μοι μάρτυρας* sine articulo, scil. XIII. § 66. XVII. § 2. § 3. § 9. XIX. § 41; bis autem addito articulo: *κάλει μοι τοὺς μάρτυρας* scil. XIII. § 81. et XXXI. § 19, deinde semel: *καλῶ μάρτυρας* scil. XX. § 26. Alterius autem dicendi rationis: (*τοὺς*) *μάρτυρας παρέχεσθαι*, tredecim, si, quae omittenda sunt, omiserimus, huc facient exempla, et quidem duodecim, unde abest, (scil. X. § 5. XII. § 42. § 61. XIII. § 42. § 68. XIX. § 27. § 58. XXII. § 12. XXIII. § 11. § 14. § 15. XXX. § 20), unum tantum, ubi adest articulus *τούς*, scil. XX. § 25. Isocrates articulum omittit XVIII. § 54, (nam orationem XVII utpote Isocrati abdicandam, in censuram non vocabo); Demosthenes contra ubique addit articulum in formula: *κάλει μοι τοὺς μάρτυρας*, omittit autem in: *μάρτυρας καλῶ*, scil. XXI. § 167 et LVII. § 27, sed in verbis (*τοὺς*) *μάρτυρας παρέχεσθαι* articulum promiscue addit et omittit. Ceteri oratores attici his formulis non utuntur. — Videmus igitur, valde prudenter cauteque agendum esse in addendo aut delendo articulo, semperque spectandum ipsius, cuius verba tractentur, scriptoris in ea re usum, quare et nostra oratione, quamvis voluntas me ducat ad restituendum utroque loco articulum *τούς*, tamen id facere non ausim. At, utcumque res se habet, utique digna quae diligentius perpendatur mihi videtur quaestio, cur in una eademque adhi benda formula tantum absit, ut varii scriptores inter se consentiant, ut ne singuli quidem in ea re sibi ipsi constent auctores.

Addidit Reiskius, quod, probatis verbis: *τούτων δὲ μάρτυράς μοι κάλει*, secus facere non potuit, titulum: *μάρτυρες*, qua in re omnes, quantum sciam, eum se-

cuti sunt. Sed tamen dubito, num sat recte ita agant viri docti. Nam ante omnia, si quaeremus, de quanam re putandi sint *οἱ μάρτυρες* testimonium dixisse, reperimus, eos, ut confirmarent, quae § 33 protulisset orator, citatos esse. Sed tum post § 33 rectius se habitura sunt verba: *τούτων δὲ μ. μ. κ.*, quam ubi nunc leguntur, sub finem § 35, ubi tantummodo dilacerant et divellunt orationem, quae § 34 a verbis: *οἱ μὲν γὰρ ἄλλοι* incipiens, non ut in argumentatione fit, testimoniis confirmari potest, sed utpote mera, indignationis plena, explicatio eorum, quae adversarii fecisse dicantur, iudicum sibi conciliare studet animos. At dicent, testimonium etiam datum esse de § 34: *ἀλλ' ἀπέκτειναν ⟨ἀπαγ⟩αγόντες τὸν ἄνδρα τὸν μηνυτήν*, post quae ne statim citarentur testes, impedisse novam, quae verbis: *τοὐναντίον ποιήσαντες ἢ οἱ ἄλλοι ἄνθρωποι* adiuncta sit, expositionem. Sed, ut iam dixi, omnem, si verba, de quibus lis est, loco suo retinebimus, perdet vim et gravitatem suam oratio; quo accedit, quod tum valde mihi displicebit tota *τοὺς μάρτυρας* citandi ratio, quae, cum ita confunderetur, prohibet, quominus post § 33 testes prodire iussos esse putemus.

Primos *μάρτυρας* praebet orator post § 20, qui confirment, quae de communi navigatione dixerit, deinde post § 22, per quos indicet, verum esse, quod perhibuerit, sese scil. et Herodem coactos esse ex una navi in alteram transcendere. Vides igitur, de tota aliqua re praeberi testes, ita ut ab illa re, testimonio dicto absoluta, statim transeatur ad novum crimen refutandum. Itaque *μάρτυρες* post § 24 adsunt, ut affirment Herodem evanuise nec rediisse, post § 28, ut stabiliant, quod orator

dixisset ad crimen, quod corpus mortui in mare deiecisset, redarguendum, et post § 30, qui, quod de hominum tortura prolatum esset, vere dictum esse, declarent. Haec autem ratio testes praebendi ad demonstrandas singulas res, easque totas, nos prorsus deserit in sequentibus. Nam postquam testes, qui post § 35 citantur, indicarunt, verum esse, quod orator praedicasset de duplici servi torti testimonio, ipsumque servum post alterum, quod edidisset, testimonium a suis ipsius dominis interemtum esse, orator non transit ad novam causam, sed, diu versatus in illa tractanda et amplificanda, pergit demum § 53, ita ut testibus, qui post § 56 aderant, testimonium dicendum fuerit et de servo illo torto et de libello, quem adversarii a reo ad Lycinum missum esse adseveraverant. Sentis, adesse in tradita lectione, quod displiceat, quodque adiunctum alteri, quam attigi, difficultati, verisimile reddat, verba: *τούτων δὲ μάρτυράς μοι κάλει* non suo loco legi. Ut brevis sim, recte agere mihi videor inserendo verba undique repulsa post § 51; sic id, quod § 34 dici coeperat, non amplius lacerabitur, et melius ipse sibi constabit Antiphon in testibus praebendis. Recte nunciam § 52 oratio instituitur a verbis: *ἡ μὲν βάσανος ὦ ἄνδρες τοιαύτη γεγένηται* q. s., a quibus per particulam *δέ* in § 53 ad novum crimen fit transitus, quocum cf. § 21: *ἡ μὲν πρόφασις ἑκατέρῳ τοῦ πλοῦ αὕτη· ἐτύχομεν δέ* cett.

§ 36. *ἐχρῆν μὲν γὰρ αὐτούς, ὡς ἐγὼ νομίζω, ἐνθάδε παρέχοντας τὸν μηνυτὴν αὐτὸν ἀπελέγχειν ἐμέ, καὶ αὐτῷ τούτῳ χρῆσθαι ἀγωνίσματι, ἐμφανῆ παρέχοντας τὸν ἄνδρα καὶ κελεύοντας βασανίζειν, ἀλλὰ μὴ ἀπο-*

κτεῖναι. Jernstedtii, loco pronominis *αὐτόν* in verbis: *ἐνθάδε παρέχοντας τὸν μηνυτὴν αὐτὸν ἀπελέγχειν ἐμέ*, proponentis *οὕτως*, coniectura eo iam refellitur, quod voc. *οὕτως* eandem efficeret sententiam, quam praebent seqq: (*καὶ*) *αὐτῷ τούτῳ* (*χρῆσθαι ἀγωνίσματι*), i. e. (et) ipsa hac re (pro argumento uti). Ceterum pronomen *αὐτῷ τούτῳ* spectare ad: *ἐνθάδε παρέχοντας τὸν μηνυτὴν αὐτὸν ἀπελέγχειν ἐμέ* ita est perspicuum, ut ego aut valde fallar, aut iure Antiphonti abiudicem sequentia *ἐμφανῆ παρέχοντας τὸν ἄνδρα καὶ κελεύοντας βασανίζειν.* Ab omnibus quidem viris doctis, qui Antiphonti ingenio et labore suo hucusque profuerunt, verba illa integra et intacta relicta sunt, sed ob nimis molestam et nudam, quam continent eorum, quae iam dicta sunt, repetitionem, equidem non dubito ea reddere magistello, qui per haec verba, in margine posita, explicationem, qua opus putabat, praeberi voluit vocabulis: *αὐτῷ τούτῳ.*

§ 37. *τοὺς δὲ προτέρους λόγους τοὺς κατεψευσμένους ἦσαν οἱ ἀφανιοῦντες ὥστε μηδέποτε εἰς τὸ ἀληθὲς καταστῆναι.* Ita, ut opinor, inter omnes constat, verba a me citata vitium alere, ut id accuratius demonstrare supersedens, satis habeam memorare Herwerdenum, praeeunte Sauppio, sibi Antiphontis manum recuperare videri legendo: *τοὺς δὲ προτέρους λόγους τοὺς κατεψευσμένους ὥστε μηδέποτ᾽ εἰς τἀληθὲς καταστῆναι, ἦσαν οἱ ἀφανιοῦντες* <*αὐτόν*>. Licet equidem non infitier, verba ita lecta melius se habere, quam quo a codicibus tradita sint ordine, tamen mihi haudquaquam persuaderi potest, Antiphontem pendentem fecisse Infinitivum: *ὥστε μηδέποτ᾽ εἰς τἀληθὲς καταστῆναι* a

verbis: *ἦσαν οἱ ἀφανιοῦντες*, quod vocabulum *ἀφανιοῦντες* et ipsum summae obnoxium est suspicioni. Quare voc. *ἀφανιοῦντες* e vicinia invectum esse, scriptorem autem *βεβαιώσοντες* (quocum cf. § 41) dedisse suspicor. Reliqua nulli difficultati obnoxia sunt, excepto illo *καταστῆναι*, pro quo *μεταστῆναι* rescribendum videtur.

§ 41. *ἐπειδὴ δὲ ἐπαύσατο βασανιζόμενος, οὐκέτι ἔφη με τούτων εἰργάσθαι οὐδέν, ἀλλὰ τὸ τελευταῖον ἀπῴμωξεν ἐμέ τε καὶ αὐτὸν ὡς ἀδίκως ἀπολλυμένους, οὐ χάριτι τῇ ἐμῇ — πῶς γάρ, ὅς γε κατεψεύσατο, — ἀλλ' ἀναγκαζόμενος ὑπὸ τοῦ ἀληθοῦς καὶ βεβαιῶν τοὺς πρώτους λόγους ὡς ἀληθεῖς εἰρημένους.* Videmus singula temporis momenta, quibus infelix ille homo testimonia sua dixerat; ab oratore ita indicari, ut primum verbis: *πρῶτον μέν, πρὶν ἐπὶ τὸν τροχὸν ἀναβῆναι* § 40. circumscribatur, alterum indicetur per: *ἐπειδὴ δὲ ἐπὶ τὸν τροχὸν ἀνέβη*, tertium nunc designetur verbis: *ἐπειδὴ δὲ ἐπαύσατο βασανιζόμενος*. At, cum iam illud *πρῶτον μέν* aliqua ex parte suspicioni obnoxium esse possit, quod et abundat et a codice A abest, plane intolerabilia fiunt verba, quae huic tertio: *ἐπειδή — βασανιζόμενος* subiecta sunt, scil. *ἀλλὰ τὸ τελευταῖον* q. s., si ad tempus referuntur, quod illis verbis indicatur. Nam homo ille tortus, cum tortura liberatus nihildum dixerit, neque *τὸ τελευταῖον* quidquam protulisse vere perhiberi potest. Hoc fuerit, cur Jernstedtius pro his verbis speciose certe coniecerit: *ἀλλ' αὐτὸ τοὐναντίον*, quam tamen coniecturam recipere non audeam. Quid enim fecit *τὸ τελευταῖον*? lamentatus est reum seque ipsum, *ἀναγκαζόμενος ὑπὸ τοῦ ἀληθοῦς*

καὶ βεβαιῶν τοὺς πρώτους λόγους ὡς ἀληθεῖς εἰρημένους. Vides primo adspectu, pravam esse hanc coniunctionem, perperamque adici verba: *καὶ βεβαιῶν* q. s., quae utique ponenda fuerant ante *τὸ τελευταῖον ἀπῴμωξεν* cett. Quid multa? Nonne duobus vitiis adhiberi potest una communis medicina? Conor saltem, cum legendum propono: *ἐπειδὴ δὲ ἐπαύσατο βασανιζόμενος, οὐκέτι ἔφη με τούτων εἰργάσθαι οὐδέν, ἀλλ' ἐβεβαίωσε τοὺς πρώτους λόγους ὡς ἀληθεῖς εἰρημένους, καὶ τὸ τελευταῖον ἀπῴμωξεν ἐμέ τε καὶ αὑτὸν ὡς ἀδίκως ἀπολλυμένους, οὐ χάριτι τῇ ἐμῇ — πῶς γάρ; οὗ γε κατεψεύσατο —, ἀλλ' ἀναγκαζόμενος ὑπὸ τοῦ ἀληθοῦς*. De hac altera coniectura *οὗ γε* pro codicum *ὅς γε* videatur Bohlmannus pag. 24.

Licet textus hoc modo satis recte constitutus esse videri possit, tamen, — quid impedit, quominus illa *τὸ δὲ τελευταῖον*, non nimis urgenda, ita cum *ἀπῴμωξεν* coniungamus, ut vertamus: finivit miserando me et se ipsum pariter. Sed et in hac explicatione remanet altera difficultas in Participio *βεβαιῶν* posita.

§ 42. *ἔπειτα δὲ ὁ ἕτερος ἄνθρωπος, ὁ ἐν τῷ αὐτῷ πλοίῳ πλέων καὶ παρὼν διὰ τέλους καὶ συνών μοι, τῇ αὐτῇ βασάνῳ βασανιζόμενος τοῖς μὲν πρώτοις καὶ τοῖς ὕστερον* (lege cum Herwerdeno *ὑστάτοις*) *λόγοις τοῖς τοῦ ἀνθρώπου συνεφέρετο ὡς ἀληθέσιν εἰρημένοις, διὰ τέλους γάρ με ἀπέλυε, τοῖς δὲ ἐπὶ τοῦ τροχοῦ λεγομένοις, οὓς ἐκεῖνος ἀνάγκῃ μᾶλλον ἢ ἀληθείᾳ ἔλεγε, τούτοις δὲ διεφέρετο*. Semper igitur hic alter testis me culpae immunem esse perseverabat; attamen, si revera scelus commisissem, hic omnium facillime id scire potuit, utpote qui eadem mecum usus sit navi,

et in ipsa navigatione semper circum me fuerit. Hunc ut assidue adfuisse doceret, orator per figuram, quae vulgo *ἐνδιαδυοῖν* appellatur, copulavit verba: *παρὼν καὶ συνών*. In tali autem coniunctione, ubi duo adsunt verba ad communem, quae iis inest, notionem corroborandam, Graeci non simplicem adhibent particulam *καί*, sed, quo artius eiusdem notionis verba inter se colligentur: *τὲ—καί*. Ita et hoc loco exspectamus fore ut utrique quidem membro: *ὁ ἐν τῷ αὐτῷ πλοίῳ πλέων* et *παρὼν διὰ τέλους καὶ συνών μοι* interposita sit coniunctio *καί*, alterius autem membri verba: *παρών* et *συνών* inter se coagmentata sint coniunctione, qua firmius nihil esse potest, scil. *τὲ—καί*. Habes exemplum Platon. Symp. pag. 195^{b}: *μετὰ δὲ νέων ἀεὶ ξύνεστί τε καὶ ἔστιν*. Secundum haec et nostro loco scribendum erit: *παρών* <*τε*> *διὰ τέλους καὶ συνών μοι*, vel, quod aeque placet, *πλέων* <*τε*> q. s. Eodem plane modo corrigendum puto, inserenda part. *τε*, Plutarch. de Is. et Osir. pag. 352^{a}: *παρ' αὐτῇ καὶ μετ' αὐτῆς ὄντα* <*τε*> *καὶ συνόντα*, ubi *τε* post *(ὄν)τα* per haplographiam excidit. Conferas omnino de harum particularum usu doctam disputationem Fuhrii Mus. Rhen. XXXIII „Excurse zu den Attischen Rednern" num. 7 pag. 577—591.

§ 43. *καίτοι τὸ εἰκὸς σύμμαχόν μοί ἐστιν*. In his verbis male me semper habuit habetque etiam nunc particula *καίτοι*. Orator enim, postquam demonstravit, ea, quae testes edixissent, magis pro se prolata esse, quam contra se, nunc adicit, etiam argumenta, quae e probabilitate peti possint, a sua parte stare. Sed talia non possunt coniungi per particulam *καίτοι* i. e. quamquam, qua eis, quae praeierunt aliquid opponi-

tur, ut collegis ex I. § 6. § 25. V. § 13. § 14. § 16. § 40. § 47. § 48. § 52. § 53. § 55. aliisque locis sescentis. Apparet igitur particula *καίτοι* insistere orationem, hoc autem loco desiderari particulam, qua pergat oratio, ita ut pro *καίτοι* potius legendum sit: *καὶ ἔτι* vel *ἔτι δὲ καί*.

§ 44. *Καὶ ἀπέθανε μὲν ὁ ἀνὴρ οὑτωσὶ ἐγγὺς τῆς θαλάσσης καὶ τῶν πλοίων, ὡς ὁ τούτων λόγος ἐστίν· ὑπὸ δὲ ἑνὸς ἀνδρὸς ἀποθνήσκων οὔτε ἀνέκραγεν οὔτ' αἴσθησιν οὐδεμίαν ἐποίησεν οὔτε τοῖς ἐν τῇ γῇ οὔτε τοῖς ἐν τῷ πλοίῳ; καὶ μὴν πολλῷ <ἐπὶ> πλέον γεγωνεῖν ἔστι νύκτωρ ἢ μεθ' ἡμέραν, ἐπ' ἀκτῆς ἢ κατὰ πόλιν· καὶ μὴν ἔτι ἐγρηγορότων φασὶν ἐκβῆναι τὸν ἄνδρα ἐκ τοῦ πλοίου*. Blassius et Jernstedtius in adnotatione critica observant Reiskium verba: *ἐν τῷ πλοίῳ* vertisse „in navibus"; cui interpretationi quam attribuant vim, ipsa, qua Reiskium ita fecisse nos docent, adnotatione indicant. Ita igitur nos viri illi docti excitant, ut indagemus, utrum codices sequi debeamus, an, quod Reiskius sibi voluisse videtur, legendum sit: *ἐν τοῖς πλοίοις*. Hoc alterum ut faciamus, fortasse adducere nos possit ipse orator, qui ostendit adversarios contendisse: *τὸν ἄνδρα ἀποθανεῖν ἐγγὺς τῆς θαλάσσης καὶ τῶν πλοίων*. At sequentia nos meliora edocent; perhibent enim accusatores, Herodem e navi, in quam transcendissent, exisse: *ἐγρηγορότων ἔτι*. At, quid sibi vult hic genetivus? Vertendusne cum Maetznero per: „als man noch wach war", ita ut in universum tantum tempus indicans, valeat: cum nox nondum eo processisset, ut homines cubitum irent, an potius cogitandum est de hominibus, qui in una illa erant navi,

quam Herodes reliquisse dicitur? Equidem hoc alterum statuerim, cum tempus iam affatim significatum sit vocabulo *νύκτωρ*, nec homines tum temporis vigiles esse soleant. Ceteris igitur navibus omnes iam cubitum ierant, sed in ea, de qua loquimur, *ἐγρηγορότες* etiam erant, cum hilari symposio congregati (cf. § 23: *ἐπειδὴ δὲ μετεξέβημεν εἰς τὸ ἕτερον πλοῖον, ἐπίνομεν*), somno iam indulgere nollent. Hinc intellegimus, Herodem non dici signum quoddam dare potuisse *τοῖς ἐν τοῖς πλοίοις*, qui somno iam essent obruti, sed comitibus suis: *τοῖς ἐν τῷ πλοίῳ*, quos nondum domuisset Morpheus. Ceterum non nimium tribuendum esse Reiskii versioni, iam apparet ex iis, quae vir clarissimus adnotavit in initio versionis suae latinae tom. VIII pag. 199.

§ 53. *φασὶ δὲ γραμματείδιον εὑρεῖν ἐν τῷ πλοίῳ, ὃ ἔπεμπον ἐγὼ Λυκίνῳ, ὡς ἀποκτείναιμι τὸν ἄνδρα. καίτοι τί ἔδει με γραμματείδιον πέμπειν, αὐτοῦ συνειδότος τοῦ τὸ γραμματείδιον φέροντος; ὥστε τοῦτο μὲν σαφέστερον αὐτὸς ἔμελλεν ἐρεῖν ὁ εἰργασμένος, τοῦτο δὲ οὐδὲν ἔδει κρύπτειν αὐτά.* Contendunt adversarii, sese in navi invenisse epistulam, a me Lycino missam, qua certiorem eum facerem, Herodem a me interemtum esse. At, quid mihi opus erat, epistulam mittere, si is, qui eam portaret, ipse conscius esset? — Haec fere textus praebet. Ego autem scire pervelim, quomodo servus ille conscius factus sit facinoris a reo commissi. Ad hanc enim conscientiam etiam alludunt antecedentia verba: *καίτοι τὸ παράπαν ἔγωγ' ἂν εἴ τι συνῄδη ἐμαυτῷ — καὶ μὴ ὑπολείπεσθαι μηνυτὰς κατ' ἐμαυτοῦ τοὺς συνειδότας* ubi aeque in obscuro est, unde exorta sit illa conscientia. Equidem ad has tenebras discutiendas nihil

aliud habeo, quam ut redeamus ad paragraphi 39 verba: *ἔτι δὲ καὶ τάδε λέγουσιν, ὡς ὡμολόγει ὁ ἄνθρωπος βασανιζόμενος συναποκτεῖναι τὸν ἄνδρα*; quo si referimus nostri loci verba, statim perspicuum est, quo iure iste servus dici possit *συνειδὼς* esse; nimirum ut *συναποκτείνας*.

Opus igitur non erat, nuntium secum portare epistulam, cum suis ipse verbis id melius narrare potuisset, utpote qui esset *ὁ* — quisnam? *εἰργασμένος*, ut libri tradunt. Sed, quod omnia clamant, non est *ὁ εἰργασμένος*, sed tantum *ὁ <συν>ειργασμένος*.

Si hanc meam disputationem probabis, aut statues lectorem quendam ex sequentis paragraphi verbis: *ὁ μὲν γὰρ βασανιζόμενος αὐτὸς ἔφη ἀποκτεῖναι* h. l. in margine adscripsisse: *ὁ εἰργασμένος*, aut vitium ita ortum putabis, ut praepositionem *συν* ante *εἰργασμένος* excidisse credas, quod ut arbitremur eo facilius adducimur, postquam ex papyro, in quo extat *Ἀθηναίων πολιτεία* Aristotelis, didicimus praepositionem *συν* olim indicari potuisse per siglum: ć. Cf. van Leeuwen: Acta Acad. Reg. ser. III. tom 8, fasc. 2 „het onlangs gevonden werk over den Atheenschen staat" pag. 158 seq. Cur autem e literis: OĆEIPΓACMENOC exciderit ć, clarius est et apertius, quam ut pluribus demonstrem.

Sed nondum satis lucramur. Nam haeremus iterum in verbis laudatis: *ὁ μὲν γὰρ βασανιζόμενος αὐτὸς ἔφη ἀποκτεῖναι*; quae verba quam maxime discrepant ab iis, quae exstant § 36: *καὶ πότερ᾽ ἀληθῆ ἐστιν, ὅτ᾽ ἔφη με εἰργάσθαι τὸ ἔργον ἢ ὅτ᾽ οὐκ ἔφη*; § 39: *ὅτι — ἤδη τεθνεῶτα αὐτὸν ὑπ᾽ ἐμοῦ συνανελὼν καὶ ἐνθεὶς εἰς τὸ πλοῖον καταποντώσειε*. § 42 (sub finem): *ὁ μὲν γὰρ ἐκβάντα μ᾽ ἔφη ἐκ τοῦ πλοίου ἀποκτεῖναι τὸν ἄνδρα*,

καὶ αὐτὸς ἤδη τεθνεῶτα συναναλεῖν μοι. § 49: *ὁ μὲν γὰρ δοῦλος δύο λόγω ἔλεγε· τοτὲ μὲν ἔφη με εἰργάσθαι τὸ ἔργον, τοτὲ δὲ οὐκ ἔφη.* § 56: *εἰ γὰρ ἡγήσαντο τὸν ἄνδρα πείσειν ἀπὸ πρώτης καταψεύδεσθαί μου, οὐκ ἄν ποτ' ἐμηχανήσαντο τὰ ἐν τῷ γραμματειδίῳ.* Fortasse in eam suspicionem inciderit quispiam, ut, deleto § 53 verbo, quod sine ullo sententiae detrimento deleri potest, *εἰργασμένος*, deinde finem sequentis paragraphi ita constituendum esse autumet: *ὁ μὲν γὰρ βασανιζόμενος* [*αὐτὸς*] *ἔφη* <*συν*>*αποκτεῖναι, τὸ δὲ γραμματείδιον ἀνοιχθὲν ἐμὲ* <*μόνον*> (*μο* per haplographiam omisso, literae *ν ο ν* abierunt in codicum lectionem: *τὸν*) [*ἀποκτείναντα*] *ἐμήνυε*; sed ne tali quidem quantumvis violenta et audaci coniectura quidquam proficeremus. Nam, quamvis fortasse haec lectio aliquo modo consociari possit eis, quae in tortura servus dixisset, scil. reum esse *τὸν ἀποκτείναντα*, tamen, ne ita faciamus, quam maxime obstant § 39 verba: *ἐγὼ δέ φημι ταῦτα μὲν οὐ λέγειν αὐτόν, ὅτι δέ* e. q. s. Utcumque se res habet, utique censeo § 53 vocabulum *εἰργασμένος* et § 54 verba *αὐτὸς ἔφη ἀποκτεῖναι* corrupta esse, cum non solum tot inter se concordantibus locis supra lectis oppugnent, sed etiam § 56 verbis: *εἰ γὰρ ἡγήσαντο τὸν ἄνδρα πείσειν ἀπὸ πρώτης καταψεύδεσθαί μου*, quam maxime refellantur.

Habeo igitur nodum, quem quomodo solvere possim, frustra elaboro. Vereor sane, ne in errore verser, cum nihil a quoquam viro docto de tali difficultate adnotatum videam; sed tamen impetrare a me non potui, ut, quid me angeret, reticerem.

§ 55. Bohlmannus pag. 25 seq. de hoc loco docte disserens nobis persuadere studet, post verba: *καίτοι*

ποτέρῳ χρὴ πιστεῦσαι; lacunam statuendam esse, nam, ni ita faciamus, particulam *γάρ* ante *πρῶτον* non habituram esse, quo referri possit. Quomodo deinde vir doctissimus hiatum, quem sibi agnoscere videtur, expleverit, id memorare supersedeo, cum nullam omnino causam adesse censeam, cur suppleamus, unde vocula *γάρ* explicationem suam accipiat. Videtur enim Bohlmannum effugisse, sententiam interrogativam: *καίτοι ποτέρῳ χρὴ πιστεῦσαι*; non veram, cui respondeatur, sed fictam tantum esse interrogationem, quales a rhetoribus adhibeantur. Post tales autem interrogationes rhetoricas particulam *γάρ* ad confirmandum, quod tacite tantum respondeatur, suo adesse loco, vix est, quod pluribus doceam. cf. e. g. § 57: *τίνος γε δὴ ἕνεκα τὸν ἄνδρα ἀπέκτεινα; οὐδὲ γὰρ ἔχθρα οὐδεμία ἦν ἐμοὶ κἀκείνῳ.*

Ibidem: *ἐπειδὴ δὲ ὁ ἄνθρωπος ὁ πρότερος βασανισθεὶς οὐδὲν ἔλεγε κατ' ἐμοῦ, τότε εἰςβάλλουσιν εἰς τὸ πλοῖον τὸ γραμματείδιον, ἵνα ταύτῃ γ' ἔχοιεν ἐμοὶ τὴν αἰτίαν ἐπιφέρειν· ἐπειδὴ δὲ ἀνεγνώσθη τὸ γραμματείδιον καὶ ὁ ὕστερος βασανιζόμενος οὐ συνεφέρετο τῷ γραμματειδίῳ, οὐκέτι οἷόν τ' ἦν ἀφανίσαι τὰ ἀναγνωσθέντα. εἰ γὰρ ἡγήσαντο τὸν ἄνδρα πείσειν ἀπὸ πρώτης καταψεύδεσθαί μου, οὐκ ἄν ποτ' ἐμηχανήσαντο τὰ ἐν τῷ γραμματειδίῳ.* Quantas mihi adtulerit sollicitudines servus ille tortus, satis colligi potest ex iis, quae ad § 53 adnotavi. At ecce, novas turbas movet servilis illa quaestio. Nam licet *ὁ βασανισθείς* et *ὁ ἄνθρωπος* in § 54 duo tantum esse nomina ad indicandum unum servum appareat ex verbis sequentibus: *ὁ μὲν γὰρ βασανιζόμενος* q. s., et de unius tantum servi tortura sermonem esse doceant verba § 56: *εἰ γὰρ ἡγήσαντο τὸν ἄνδρα*

πείσειν ἀπὸ πρώτης καταψεύδεσθαί μου q. s., tamen facere non possumus, quin § 55 *τὸν ἄνθρωπον τὸν πρότερον βασανισθέντα* ingenuum illum, qui semper reum culpa absolvisset putemus, et § 56 verba: *τὸν ὕστερον βασανιζόμενον* referamus ad servum, qui aliud alias dixisset. Valde igitur gavisus sum, cum viderem, Herwerdenum, virum clarissimum, isdem, quibus et ego gravabar, difficultatibus offensum (cf. Mnem. IX. 207 seq.), textum ita restituere conatum esse, ut verba: *ὁ πρότερος βασανισθείς* et deinde *ὕστερος* uncis secluderet, magistellis ea deberi ratus. Ut autem ipse deinde Herwerdenus Mnem. XI. pag. 214 leviore usus medicina alterum illud, quod antea secluserat, Antiphonti ita vindicare studuit, ut *ὁ ὕστερος* corruptum diceret ex: *ὕστερον ὁ*, ita equidem nescio, an forte priora verba: *ὁ πρότερος βασανισθείς* depravata sint ex: *πρὸ τοῦ βασανισθῆναι*; quam coniecturam si addes Herwerdeni emendationi: *ὕστερον ὁ*, nihil amplius, quo hoc loco offendaris, habebis.

Quamquam quid dico? Nam ultima § 56: *εἰ γὰρ ἡγήσαντο — τὰ ἐν τῷ γραμματειδίῳ*, nullam adferunt sive causam sive explicationem eorum, quae proxime praecedunt, scil.: *ἐπειδὴ δὲ ἀνεγνώσθη — τὰ ἀναγνωσθέντα.* Quam rem si paulo diligentius perpenderimus, statim, quo ordine singula cola se excipere debeant, reperiemus. Dicit enim orator: cum servus nondum tortus esset nec quidquam in me mali ediceret, adversarii mei, putantes, ne summis quidem doloribus hominem adductum iri ut me accusaret, epistulam illam dolosam composuerunt, ut utique aliquid contra me proferri posset, compositamque demiserunt in na-

vem. Quod nequaquam fecissent, si credibile duxissent, servo persuaderi posse, ut contra me ementiretur. At cum, ut id crederent, non haberent, ita fecerunt. Deinde servus summis cruciatibus oppressus, ut iis liberaretur, mentitus est, sed ita, ut non consentiret epistulae mendaciis. Habebant igitur adversarii mendacia quidem in me, sed quae inter se pugnarent, quaeque, quod ad epistulam, delere iam non potuerunt. Quoniam apparet, hunc sententiarum esse ordinem, non dubito § 56 membra inter se ita transponere, ut legamus: *εἰ γὰρ ἡγήσαντο — τὰ ἐν τῷ γραμματειδίῳ. ἐπειδὴ δὲ ἀνεγνώσθη — τὰ ἀναγνωσθέντα.*

§ 57. *λέγειν δὲ τολμῶσιν ὡς ἐγὼ χάριτι τὸν ἄνδρα ἀπέκτεινα.* Immerito Bohlmannus pag. 26 Weidnerum reprehendit, quod Antiphonti pro codicum lectione *ἔκτεινα* obtruserit formam pleniorem: *ἀπέκτεινα*, „exstat enim", inquit, „verbum *κτείνειν* etiam V. § 11, VI. §§ 4. 16." Videtur igitur virum doctissimum effugisse, haec omnia diversa ratione diiudicanda et pro uniuscuiusque loci natura modo *κτείνειν* modo compositum *ἀποκτείνειν* legendum esse. Nam etsi pro simplici *κτείνειν* posteriore tempore plenior forma *ἀποκτείνειν* substituebatur, tamen in legibus, formulis, idque genus ceteris, quae ne mutarentur, religio obstabat, semper retinebatur *ἀρχαιοτικόν* illud *κτείνειν*, ita ut in una eademque oratione modo inveniatur *ἀποκτείνειν*, modo, ubi legis alicuius vel formulae verba citentur, adsit simplex *κτείνειν*. Ita V. § 11 verba *ὡς ἔκτεινα* verisimile est, ex ipsa deprompta esse accusationis formula, cum item vetustae formulae cuiusdam verba adesse statuerim VI. § 4: *ὥστε καὶ ἄν τις*

κτείνῃ τινά et VI. § 16: *διωμόσαντο δὲ οὗτοι μὲν κτεῖναί με Διόδοτον*; quo altero loco libenter assentior Herwerdeno, qui in subsequentibus quoque: *ἐγὼ δὲ μὴ ἀποκτεῖναι*, praepositionem *ἀπο* deleri iubet. At, ut redeamus ad nostram § 57, iure Weidnerus mihi restituisse videtur verbum *ἀπέκτεινα*, cum nulla allegari possit causa ad breviorem formam *ἔκτεινα* defendendam.

Ibidem: καὶ τίς πώποτε χαριζόμενος ἑτέρῳ τοῦτο εἰργάσατο; οἶμαι μὲν γὰρ οὐδένα, ἀλλὰ δεῖ μεγάλην τὴν ἔχθραν ὑπάρχειν τῷ τοῦτο μέλλοντι ποιήσειν, καὶ τὴν πρόνοιαν ἐκ πολλοῦ φανερὰν εἶναι ἐπιβουλευομένην. Quod in extremis his verbis Pahlius „Antiphontis et quae volgo eius feruntur orationes", Jever 1874, pro codicum lectione *ἐκ πολλῶν φανερὰν εἶναι ἐπιβουλευομένην*, coniecit: *ἐκ πολλοῦ εἶναι ἐπιβεβουλευμένην*, eum Herwerdenus Mnem. XI pag. 215 edocuit, et *πολλῶν* recte se habere et voc. *φανεράν*, quo referendum sit § 59: *ἐγὼ μὲν γὰρ σοῦ φανερὰν τὴν πρόνοιαν εἰς ἐμὲ ἀποδείκνυμι*, aegre desiderari. Condemnandam autem esse lectionem *ἐπιβουλευομένην*, hac de re inter utrumque convenit, sed ita convenit, ut, quod ad causas, ob quas illud vocabulum genuinum non esse iudicent, quam maxime dissentiant; nam quod Pahlius ipsa, quam protulit coniectura concedere videtur, scil. *πρόνοιαν ἐπιβουλεύεσθαι* per se spectatum recte se habere, id Herwerdenus optimo iure infitiatur, „praemeditationem" enim inquit vir doctissimus „dici posse *ἐπιβουλεύεσθαι*, non nisi exemplo victus concedam." Et profecto, me quoque iam dudum ea res male habuit, eratque cur conicerem: *ἐπιβεβουλευμένων*, ad antecedens *ἐκ πολλῶν* referendum.

Cum haec conscribo, animadverto Bohlmannum pag. 26 seq. pro hac, in quam et ipsum incidisse apparet, coniectura proponere: *ἐπιβουλευομένων*, quam formam, ut tueatur, adnotat, participia neutri generis saepissime nominum induere naturam, ita ut temporis nulla habeatur ratio. Et recte sane hoc dicit, cui etiam addere potuit, participia tali modo praecipue ab Antiphonte et Thucydide usurpata inveniri; sed talibus locis cum Participio semper coniunctus est articulus, et Bohlmanno igitur scribendum esset: *ἐκ πολλῶν — τῶν ἐπιβουλευομένων*. Quapropter ratione habita temporis, quod flagitatur, praeteriti, statuere malo, ante syllabam *β*8 haplographia excidisse *βε*. Ita si rescribimus, omnia se iam recte habebunt, nam nunc verba: *ἐκ πολλῶν ἐπιβεβουλευμένων* idem valent ac: *ἐκ πολλῶν ἐπιβουλευμάτων*, *ἃ ἐπιβεβουλευμένα ἐστίν*.

Ceterum, si hanc amplectemur coniecturam, verba, quo in codice A leguntur ordine retineri possunt, scil.: *ἐκ πολλῶν εἶναι φανερὰν ἐπιβ.* Habes quidem verbum *εἶναι* post voc. *φανερός* positum *B. β.* § 5: *ὁ δὲ παῖς, εἴπερ ἑστὼς φανερὸς ὑμῖν ἐστι μὴ βληθείς* q. s. et *B. γ.* § 7: *οὐδὲ ἀφανὴς ἀλλὰ καὶ λίαν φανερὸς ἔμοιγε αὐτοῦ ὁ θάνατός ἐστιν*, sed praepositum invenimus e. g. *A. γ.* § 8: *φάσκων δὲ οὐ τοὺς εἰκότως ἀλλὰ τοὺς ἀποκτειναντας φονέας εἶναι, περὶ μὲν τῶν ἀποκτεινάντων ὀρθῶς λέγει, εἴπερ ἐγένετο φανερὸν ἡμῖν τίνες ἦσαν οἱ ἀποκτείναντες αὐτόν*. V. § 23: *καὶ ὁ μέν ἐστι φανερὸς ἐκβὰς ἐκ τοῦ πλοίου καὶ οὐκ εἰσβὰς πάλιν*. Videmus igitur, nihil esse, cur libri A lectionem vulgatae postponamus.

§ 61. *τεκμήριον δὲ μέγιστον ὡς οὐκ ἐβούλετο αὐτὸν*

ἀπολέσαι· ἐξὸν γὰρ αὐτῷ ἐν ἀγῶνι καὶ κινδύνῳ μεγάλῳ καταστήσαντι μετὰ τῶν νόμων τῶν ὑμετέρων ἀπολέσαι ἐκεῖνον, εἴπερ προωφείλετο αὐτῷ κακόν, καὶ τό τε ἴδιον τὸ αὑτοῦ διαπράξασθαι καὶ τῇ πόλει τῇ ὑμετέρᾳ χάριν καταθέσθαι, εἰ ἐπέδειξεν ἀδικοῦντα ἐκεῖνον, οὐκ ἠξίωσεν, ἀλλ' οὐδ' ἦλθεν ἐπὶ τοῦτον. καίτοι καλλίων γε ἦν ὁ κίνδυνος αὐτῷ. Orator, postquam § 60 demonstravit, nullam fuisse causam, ut Lycinus interimeret Herodem, pergit § 61 indicando, Lycinum ne cum potuisset quidem, eius mortis auctorem existere voluisse. Ob hunc sententiarum conexum puto in transitu ad § 61 scribendum esse: *τεκμήριον δὲ μέγιστον ὡς οὐδ' ἐβούλετο αὐτὸν ἀπολέσαι.*

Quominus autem hoc argumentum totum recte intellegamus, impedit mutilatus paragraphi finis, de quo, quamquam nihil certi constitui potest, tamen, quid sentiam, non reticebo. Colligimus igitur ex verbis, quibus, testibus citatis, orator pergit, scil.: *ἀλλὰ γὰρ ἐνταῦθα μὲν ἀφῆκεν αὐτὸν, ἵν' οὐκ* (ita scribendum est cum Herwerdeno) *ἔδει κινδυνεύειν αὐτόν* q. s., in antecedentibus sermonem fuisse de re, quae nulli coniuncta esset periculo, ita ut verba: *καίτοι καλλίων γε ἦν ὁ κίνδυνος* se recte habere non possint. Quidquid antiquitus horum sedem obtinuit, necesse est, in hanc fere sententiam dictum fuisse: *καίτοι κάλλιόν γε ἦν ἄνευ κινδύνου* cett. Verbum autem, quod post *καίτοι κάλλιόν γε ἦν* adfuisse oportet, fortasse latet in antecedentibus: *ἀλλ' οὐδ' ἦλθεν ἐπὶ τοῦτον*, quae corrupta esse, mihi quam maxime persuasum est. Nam neque particula *ἀλλά* ullam adfert oppositionem verborum: *οὐκ ἠξίωσεν* scil. *ἀπολέσαι ἐκεῖνον*, neque totum

colon: *ἀλλ' οὐδ' ἦλθεν ἐπὶ τοῦτον*, quidquam novi praebet. Sententiam, (nam de verbis nihil scio) quam olim exstitisse arbitror, haec fere est: — *οὐκ ἠξίωσεν· καίτοι κάλλιόν γε ἦν ἄνευ κινδύνου ἐπεξελθεῖν αὐτῷ. τούτων δ' ὑμῖν τοὺς μάρτυρας παρασχήσομαι* (sec. § 28) vel: *τούτων δὲ μάρτυράς μοι κάλει* (sec. § 35).

§ 63. *καὶ μὲν δὴ καὶ τῆς χρείας τῆς ἐμῆς καὶ τῆς Λυκίνου τοῦτο ὑμῖν μέγιστον τεκμήριόν ἐστιν, ὅτι οὐ σφόδρα ἐχρώμην ἐγὼ Λυκίνῳ φίλῳ, ὡς πάντα ποιῆσαι ἂν τὰ ἐκείνῳ δοκοῦντα.* Licet haec fortassis parum eleganter dicta sint et *αὐστηρόν* illud *καὶ ἀρχαῖον*, (quod Antiphontis orationes ubique prae se ferre observavit Dionysius Halicarnassensis de Isaeo pag. 111. § 42) hic magis, quam auribus nostris placeat, expressum sit, tamen non ausim ne Hartmano quidem et Herwerdeno auctoribus, magistello reddere molesta, quae videntur, verba: *τῆς χρείας τῆς ἐμῆς καὶ τῆς Λυκινου.* Quid enim, quaeso, faciemus de verbis: *καὶ τοῦτο ὑμῖν μέγιστον τεκμήριόν ἐστιν*, quae tum tantum se recte haberent, si in eis, quae praegressa sunt, alterum iam de hac, quae negatur, familiaritate prolatum esset argumentum. Quod autem ad difficultates, quibus adductus Hartmanus illa verba quasi emblema deleta vult, puto locutionem: *τῆς χρειας τεκμήριον — ὅτι οὐ σφόδρα ἐχρώμην* (ineptam eam vocat vir doctissimus) a verbosiore Antiphontis dicendi genere non adeo abhorrere, ut ideo abiudicanda sint oratori. Recte monuit Reiskius: *τῆς χρείας* idem valere ac: *περὶ τῆς χρείας*. Ceterum conferas, quae de hac dicendi ratione disputavit Maetznerus pag. 229, praecipueque locum, quem ibi laudatum invenies, nostro similem, scil. § 83:

ἃ ἐγὼ ἀξιῶ μεγάλα μοι τεκμήρια εἶναι τῆς αἰτίας, ὅτι οὐκ ἀληθῆ μου οὗτοι κατηγοροῦσι.

Deinde Hartmanus offenditur repetitione nominis proprii, pro quo, si, quae antecesserint, genuina essent, sese utique dicit exspectaturum esse pronomen *αὐτῷ*. Et revera, si hoc vocabulum adesset, nihil amplius desiderandum restaret; non tamen hanc ob causam statim tentandum est nomen proprium, quod, si quid sentio, tota huiusce loci indole satis defenditur. Praeterea in Antiphontis reliquiis emendandis perpetuo memoria tenendum puto, Rhamnusium, utpote conditorem atque patrem iudicialis dicendi generis, cuius orationes in antiquissimorum atticae eloquentiae monumentorum sint numero, non habendum esse oratorem, qualis existere nullo modo potuit, perpolitum atque perfectum, neque igitur aegre esse ferendum, eius orationes non prae se ferre illud *γλαφυρόν*, quod in suis ut semper admiremur orationibus, nos cogit Isocrates. Huc igitur referendas puto praeter verbosiorem dicendi rationem, etiam nominum repetitiones, quas saepius in antiquioris temporis monumentis deprehendi licet. Invenimus nomen praeter exspectationem repetitum e. g. I. § 19: *καὶ ἅμα οἰομένη δεξιόν‹τι› ποιεῖν πλέον δίδωσι τῷ Φιλόνεῳ, ὡς, εἰ δοίη πλέον, μᾶλλον φιλησομένη ὑπὸ τοῦ Φιλόνεω·* At delentur haec ultima verba ab Hirschigio. Sed iterum reperies exemplum V. § 68: *αὐτίκα Ἐφιάλτην τὸν ὑμέτερον πολίτην οὐδέπω ‹καὶ› νῦν ηὕρηνται οἱ ἀποκτείναντες· εἰ οὖν τις ἠξίου τοὺς συνόντας ἐκείνῳ εἰκάζειν οἵτινες ἦσαν οἱ ἀποκτείναντες Ἐφιάλτην, εἰ δὲ μή, ἐνόχους εἶναι τῷ φόνῳ οὐκ ἂν καλῶς εἶχε τοῖς συνοῦσιν. ἔπειτα οἵ γε Ἐφιάλτην*

ἀποκτείναντες cett. Adde huc nostram paragraphum et habes tres locos, ubi nomen a tradita codicum lectione sollemniter repetitum a nostrae aetatis viris doctis deletur. Scio verum esse, quod Herwerdenus Mnem. IX. pag. 203 de priore, quod citavi, exemplo protulerit, scil. stipes sit necesse esse, qui de alius quam Philonei amore hic cogitare possit. Sed ob hoc ipsum non facile putem quemquam id adiecturum fuisse. Quod ad V. § 68, concedo, alterum nomen *'Εφιάλτην* potuisse quidem immerito addi, sed ita tantummodo immerito, ut librarius, cui modo scripta etiam memoria haererent, per errorem adscripserit, quamvis ne ibi quidem contenderim, nomen abesse debere, cum verba: *οἱ 'Εφιάλτην ἀποκτείναντες* in unam quasi coaluerint notionem. Conferas etiam V. § 56: *ἐπειδὴ δὲ ἀνεγνώσθη τὸ γραμματείδιον καὶ ὁ ὕστερος βασανιζόμενος οὐ συνεφέρετο τῷ γραμματειδίῳ, οὐκέτι οἷόν τ' ἦν ἀφανίσαι τὰ ἀναγνωσθέντα,* unde nomen *τῷ γραμματειδίῳ* abicere non ausim. Simili modo se habet VI. § 44.

Equidem sic potius statuerim: multis quidem locis Antiphontis orationes depravatas esse additamentis, quae sive e vicinia irrepserint, sive a magistellis sint apposita; ab his vero diligenter discernendas esse eas, quae abundare videantur, repetitiones, in quibus nomen more vetusto, quodammodo sollemniter repetitum sit. Utcumque autem res se habet, nam de talibus quid quisque sentiat secum ipse reputet, equidem non credo, satis causae esse, ut Hartmano ea verba delenti obsequamur. Satis igitur habeo, deleto articulo *τῆς*, ante *Λυκίνου* iniuria addito, retinere codicum lectionem, dum de illa, quam ut acri indagetur studio, dignissi-

mam duco, repetitione, accuratius quoddam constitutum sit.

§ 65. *ἐμοὶ μὲν γὰρ τῷ μὴ εἰργασμένῳ τοσοῦτον τὸ μακρότατον τῆς ἀποκρίσεώς ἐστιν, ὅτι οὐκ εἴργασμαι. τῷ δὲ ποιήσαντι ῥᾳδία ἐστὶν ἡ ἀπόδειξις, καὶ μὴ ἀποδείξαντι εὖ εἰκάσαι. οἱ μὲν γὰρ πανουργοῦντες ἅμα τε πανουργοῦσι καὶ πρόφασιν εὑρίσκουσι τοῦ ἀδικήματος· τῷ δὲ μὴ εἰργασμένῳ χαλεπὸν περὶ τῶν ἀφανῶν εἰκάζειν.* Etsi universae, quae his verbis, sat difficilibus intellectu, inesse debet, sententiae explicationem pulcram, quaeque facile arrideat, praebuit Herwerdenus, Mnem. XI, pag. 216, tamen quod ad singula verba, mihi persuaderi non potest, omnia iam vacare difficultate. Nam si orator dicit: „sceleris vero auctori facile est id indicare et, si non indicaverit, speciosam proponere coniecturam", male me habet verbum „si non indicaverit," pro quo potius exspectamus: „si indicare non vult." Nam recte sequentia monent, malefactores eodem tempore, quo scelus animo concipiant etiam reperire, quo pacto futurum scelus ita explicent, ut a semet ipsis avertant suspicionem. Possunt igitur aut scelus commissum indicare, aut, si non indicaturi sunt, certe speciosam de eo proponere coniecturam. Quid multa? Scribendumne: *καὶ μὴ ἀποδείξοντι*?

In subsequentibus articulum *τό* ante *εὖ εἰκάσαι* desidero, abesse autem malim voculam *εὖ* ante *εἰκάσαι* additam. Nam etsi concedimus, eum, qui scelus commissurus sit, facile aliquid comminisci posse, quo se postea, reum factum, crimine purgatum iri speret, tamen nimium est dicere, facile esse, bonam i. e. cui omnes credant, proponere coniecturam. Neque talis

notio addita est nec § 64, nec in sequentibus, ubi tantum legimus: *πρόφασιν εὑρίσκουσι* et *χαλεπὸν εἰκάζειν*. Hanc ob causam mihi magis placeat restituere: *καὶ μὴ ἀποδείξοντι τό γ' εικάσαι*, ita ut articulo *τό* post *ἀποδείξοντι* omisso, vocula *εὖ* aut ex sequenti *εἰκάσαι* per dittographiam nata aut e § 66: *ἐὰν εὖ εἰκάζω* huc invecta sit.

§ 71. Postquam orator, qui summopere iudices permovere studet, ne se statim condemnent, grave protulit exemplum ad demonstrandum, quam bene sit, tempori aliquid in id genus causis incertis concedere, addit: *οὕτως ἀγαθόν ἐστι μετὰ τοῦ χρόνου βασανίζειν τὰ πράγματα. καὶ τοῦτ' ἴσως ἂν* (ita cum codice A legendum) *φανερὸν γένοιτ' ἂν ὕστερον, ὅτῳ τρόπῳ τέθνηκεν ὁ ἄνθρωπος*. Cum iudices igitur sperare iubet, fore ut postea aliquando, quomodo Herodes interemtus sit, appareat, eos hortatur, ut condemnationem, quam pronuntiare possint, differant in tempus futurum. Sed his quam acerrime repugnant sequentia: *μὴ οὖν ὕστερον τοῦτο γνῶτε, ἀναίτιόν με ὄντα ἀπολέσαντες ἀλλὰ πρότερόν γ' εὖ βουλεύσασθε καὶ μὴ μετ' ὀργῆς καὶ διαβολῆς* q. s., quae nullo prorsus iusto conexu cohaerent cum eis, quae antecedunt. Hoc idem, nisi fallor, inter ea erat, ob quae Sauppius ante *καὶ ὅτῳ* inserere voluerit: *ὑπὸ τοῦ*. Videas autem, num magis placeat, virgula post *γνῶτε* deleta, (nam quae sequuntur non adverbialiter sed praedicative addita sunt) suspicari, verba: *ὕστερον τοῦτο γνῶτε* orta esse ex: *ὕστερον μεταγνῶτε*. Tum totus locus iam recte cohaeret: Postea aliquando reperietur, quomodo vir interemtus sit; si me igitur hac causa condemnabitis, postea, simulac

perspexeritis, Herodem non a me occisum esse, sero intellegetis, me sceleri obnoxium non fuisse, vosque poenitebit, quod non *εὖ ἐβουλεύσασθε* sed *μετ' ὀργῆς καὶ διαβολῆς*. Tempori igitur aliquid date, ne postea vobis sententia mutanda sit et quidem ita mutanda, ut vos me insontem condemnasse confiteamini. Conferas sententiam similem *Δ. δ.* § 2: *ταῦτα οὖν σεβόμενοι ὁσίως καὶ δικαίως ἀπολύετέ με, καὶ μὴ μετανοήσαντες τὴν ἁμαρτίαν γνῶτε· ἀνίατος γὰρ ἡ μετάνοια τῶν τοιούτων ἐστίν* et V. § 91: *ἐν δὲ τοῖς ἀνηκέστοις πλέον βλάβος τὸ μετανοεῖν καὶ γνῶναι ἐξημαρτηκότας*. Ceterum, si quis voc. *τοῦτο* deleri quam mutari malit, equidem non valde refragabor.

§ 72. Codices tradunt: *οὐ γάρ ἐστιν ὅ τι ὀργιζόμενος ἄνθρωπος ἂν γνοίη· αὐτὸ γὰρ ᾧ βουλεύεται, τὴν γνώμην διαφθείρει τοῦ ἀνθρώπου*. Facilem atque paratam viri docti his verbis iam adhibuerunt medicinam, cum secundum Stobaei flor. XX. 44, ubi hic locus citatur, et ante *ὀργιζόμενος* suppleverunt particulam *ἂν* et ante *γνοίη* pro codicum lectione *ἂν* substituerunt vocabulum *εὖ*. Huic correctioni ego libenter subscribo, nisi quod particulam *ἂν* non ante sed potius post voc. *ὀργιζόμενος* inseruerim. Ibi certe et exspectatur et facile potuit excidere. Quod autem ad sequentia, quae haud paucas continent difficultates, ea Reiskius ita explicavit, ut, quid in hoc loco emendando sequi debeamus, suppeditet nobis eius adnotatio. Observat enim, verba *ᾧ βουλεύεται* valere i. a. *μεθ' οὗ βουλεύεται ὁ ἄνθρωπος*, additque verbi *διαφθείρει* subiectum aliud esse non posse quam *ἡ ὀργή*, pronomen autem *αὐτό*, cuius interpretatio sit *τὴν γνώμην*, accusativum esse oportere. „Ira

enim," inquit „corrumpit id ipsum, quo homo deliberat, mentem puta." Hac loci explicatione, cui omnes libenter assentientur, freti, videamus iam, an oratori utiles esse possimus.

Rectissime quidem contendit Reiskius, verbi *διαφθείρει* subiecti munere fungi tantum posse vocem *ὀργή*, sed cum id ipsum subaudiri iubet, nimium puto flagitare virum clarissimum; nec Herwerdenus sibi placet tacite supplendo voc. *ὀργή*, quod, quamvis dubitanter, in adnotatione sua critica insertum mavult ante *διαφθείρει*. Num difficultas fortasse ita removenda est, ut in antecedenti membro pro *ὀργιζόμενος* legamus *ὀργῇ χρώμενος*?

Ira igitur corrumpit id ipsum, *ᾧ βουλεύεται* — quisnam? scil. *ὁ ἄνθρωπος*; sed tum quantocius delendum erit: *τοῦ ἀνθρώπου*. Itaque altera quaerenda est explicandi ratio, et ecce, iterum nobis auxiliatur Stobaeus, qui et haec verba laudans ita a codicum lectione deflectit, ut pro *ᾧ βουλεύεται* tradat: *ὃ βουλεύεται*. Si hanc lectionem, quam critici sagacissimi, Stephanum Herwerdenumque dico, commendant, recipiemus, omnia se recte habebunt et nihil amplius e textu removeri oportebit. Totum locum equidem hoc modo constituerim: *οὐ γάρ ἐστιν ὅ τι ὀργῇ χρώμενος* <*ἂν*> *ἄνθρωπος εὖ γνοίη· αὐτὸ γὰρ ὃ βουλεύεται, τὴν γνώμην διαφθείρει τοῦ ἀνθρώπου.*

§ 74. *καίτοι πολλῷ γε* (codices: *καίτοι γε πολλῷ*) *μᾶλλον εἰκὸς ἦν ἐκεῖνον ὑπὲρ ἐμοῦ ἀπολογήσασθαι πατέρα ὄντα.* Scio, ab atticis scriptoribus consociari non solere particulas *τοι* et *γε*, quamvis Lysias XXXI. § 2 praebeat: *οὐ μέντοι γε ἰδίαν ἔχθραν οὐδεμίαν μεταπο-*

ρευόμενος; at tamen nullam idoneam causam adesse puto, cur Antiphonti cum Jernstedtio aliisque viris doctis hanc coniunctionem omnino abiudicemus. Nam cum quinquies ab oratore secundum traditam codicum lectionem illas particulas ita copulatas esse videmus, tum eo minus hac re offendi oportet, quod et alia, vel multo insolentius dicta, ab atticis scriptoribus spreta, a nostro oratore admissa constat; qua de re conferas, quae Herwerdenus Mnem. IX. pag. 203 seq. congessit. Loci autem, quibus secundum codices hae particulae arte consociatae nulla re interposita exstant, sunt hi: V. § 19: *ὅμως μέντοι γε καὶ ἐκ τούτων πειράσομαι ἐμαυτὸν ἀναίτιον ἐπιδεῖξαι*. V. § 24: *καίτοι γε οὐ δήπου* (cod. N: *καίτοι οὐ δήπου γε*) *κατ' ἐμαυτοῦ μηνυτὴν ἔπεμπον εἰδώς*. V. § 74 vide supra. VI. § 3: *ἡγοῦμαι μέντοι γε καὶ ὑμῖν τοῖς δικασταῖς περὶ πολλοῦ εἶναι τὰς φονικὰς δίκας ὀρθῶς διαγιγνώσκειν* cett. VI. § 9: *ἐπεί τοί γε καὶ δεινὸν ὦ ἄνδρες*. At invenimus ex altera parte particulas *καίτοι* et *γε* etiam ita ab Antiphonte usurpatas, ut atticorum scriptorum usui congruenter, interposito quodam vocabulo seiungantur cf. I. § 11: *καίτοι εὖ οἶδά γ', εἰ οὗτοι πρὸς ἐμὲ ἐλθόντες — αὐτὰ ἂν ταῦτα μέγιστα τεκμήρια παρείχοντο ὡς οὐκ ἔνοχοί εἰσι τῷ φόνῳ*. V. § 14: *καίτοι τούς γε νόμους οἳ κεῖνται περὶ τῶν τοιούτων, πάντας ἂν οἶμαι ὁμολογῆσαι κάλλιστα νόμων ἁπάντων κεῖσθαι καὶ ὁσιώτατα*. V. § 19: *καίτοι χαλεπόν γε τὰ ἐκ πολλοῦ κατεψευσμένα καὶ ἐπιβεβουλευμένα, ταῦτα παραχρῆμα ἀπελέγχειν*. V. § 61: *καίτοι καλλίων γε ἦν ὁ κίνδυνος αὐτῷ*. . . . Huc fortasse etiam referri potest VI. § 46: *καὶ ἱκανά γ'* (unde Reiskius: *καί<τοι>*

ἱκανά γ') *ἦν ὑπομνῆσαι καὶ ἐνθυμηθῆναι, εἴπερ ἠδικοῦντο, ἀμφότερα καὶ σφῶν αὐτῶν ἕνεκα καὶ τῆς πόλεως.* Cum hae igitur duae particulae novem vel etiam decem in Antiphontis orationibus adsint locis, et quidem ita, ut quinquies arte coniunctae legantur, quater autem vel fortasse etiam quinquies interposito vocabulo seiungantur, nimis ego audacter Jernstedtium agere puto, mutando vel plane delendo, quod ne mutemus aut abiciamus quinque dissuadent atque impediunt exempla.

Etiam in Demosthenis orationibus hae particulae nimis saepe coniunctae occurrunt, quam ut ubivis particulam *γε* transponi vel deleri liceat. Perperam autem Blassium agere puto, qui in Demosthenis, quam curavit, editione quarta has particulas modo intactas relinquit, modo violenter divellit. Conferas accuratam, quam de his particulis instituit disquisitionem Fuhrius Mus. Rhen. XXXIII „Excurse zu den attischen Rednern" n. 9. pag. 593 sqq.

§ 78. *εἰ δ' ἐν Αἴνῳ χωροφιλεῖ, τοῦτο οὐκ ἀποστερῶν γε τῶν εἰς τὴν πόλιν ἑαυτὸν οὐδενὸς οὐδ' ἑτέρας πόλεως πολίτης γεγενημένος, ὥσπερ ἑτέρους ὁρῶ τοὺς μὲν εἰς τὴν ἤπειρον ἰόντας, <τοὺς> δὲ* (codices: *καὶ*) *οἰκοῦντας ἐν τοῖς πολεμίοις τοῖς ὑμετέροις καὶ δίκας ἀπὸ ξυμβόλων ὑμῖν δικαζομένους, οὐδὲ φεύγων τὸ πλῆθος τὸ ὑμέτερον, τοὺς δ' οἵους ὑμεῖς μισῶν συκοφάντας.* Fieri quidem potuit, ut post pronomen *τοῦτο* excideret verbum *ποιεῖ*, cuius notionem aegre desiderari Reiskius recte perspexit; sed tamen, ne statim hoc verbum addamus, dehortatur repetitum in codice A vocabulum *ἑαυτόν*, cui vestigium genuinae lectionis

inesse, ego quam maxime suspicor, etsi nihil adhuc, quod satis placeat excogitare valeo.

Magna in sequentibus viris doctis inde nata est difficultas, quod, quae verbis *τοὺς μέν* respondere exspectamus: *τοὺς δέ* frustra quaeruntur. Ne igitur oratio claudicaret, Reiskius, quem Maetznerus Jernstedtiusque secuti sunt, inter *πολεμίοις τοῖς ὑμετέροις* et *καὶ δίκας ἀπὸ ξυμβόλων* inseruit alterum membrum *τοὺς δέ*, Blassius vero Herwerdenusque id supplere malunt post antecedentia: *εἰς τὴν ἤπειρον ἰόντας*. Cum autem, quod Reiskius proposuit, a sententia recte se habeat, equidem, quod ad Blassianam coniecturam, neque quid ea lucremur video, neque, quomodo omnino satis defendi possit intellego. Nam, si ita legeremus, filius *τοὺς εἰς τὴν ἤπειρον ἰόντας* se subducere diceret iis, quae civitati deberent, ideoque etiam patrem, quem *εἰς τὴν ἤπειρον* ivisse nusquam negat, idem peccatum commisisse concederet. Vides, quantopere talis sententia ab iis, quae reus revera dixisse putandus est, abhorreat. Nisi valde fallor, haec fere sententia requiritur: „Si Aeni degit, non tamen ulli erga Atheniensium civitatem se subducit officio, quod ceteros in Asiam migrantes facere videmus, qui non solum in hostium fines sedes fortunarum suarum transferunt, sed Athenienses litibus quoque mercatoriis vexant." Hanc, quam ab omni parte recte se habere puto sententiam, ita mihi facillime restituere videor, ut inserto ante *ἑτέρους* articulo *τούς*, levi transpositione legamus: — *ὥσπερ ⟨τοὺς⟩ ἑτέρους ὁρῶμεν τοὺς εἰς τὴν ἤπειρον ἰόντας*, *καὶ* (ita codd.) *οἰκοῦντας* q. s. Ceterum in verbis *καὶ οἰκοῦντας — καὶ δικαζομένους* particulas *καί* —

καί idem valere ac: non solum — sed etiam, nemo non intellegit.

§ 81. *ὅσα μὲν οὖν ἐκ τῶν ἀνθρωπίνων τεκμηρίων καὶ μαρτυριῶν οἷά τε ἦν ἀποδειχθῆναι, ἀκηκόατε.* Valde vereor, ne orator, cum se omnia, quae demonstrari potuissent, demonstrasse perhibeat, nimium sibi adroget, cum praesertim §§ 74. 75 tantummodo, quod sciret defensurum sese promisisset. Cf. l. l. *καὶ εἰ μὲν ἐγὼ τούτου ἀγωνιζομένου κατεμαρτύρουν ἃ μὴ σαφῶς ᾔδη ἀκοῇ δὲ ἠπιστάμην, δεινὰ ἂν ἔφη πάσχειν ὑπ' ἐμοῦ· νῦν δὲ ἀναγκάζων ἐμὲ ἀπολογεῖσθαι ὧν ἐγὼ πολλῷ νεώτερός εἰμι καὶ λόγῳ οἶδα, ταῦτα οὐ δεινὰ ἡγεῖται εἰργάσθαι. ὅμως μέντοι καθ' ὅσον ἐγὼ οἶδα, οὐ προδώσω τὸν πατέρα κακῶς ἀκούοντα ἐν ὑμῖν ἀδίκως. καίτοι τάχ' ἂν σφαλείην, ἃ ἐκεῖνος ὀρθῶς ἔργῳ ἔπραξε, ταῦτ' ἐγὼ λόγῳ μὴ ὀρθῶς εἰπών· ὅμως δ' οὖν κεκινδυνεύσεται.* Huc etiam referenda sunt § 79 (sub finem): *γέρων μὲν ἐκεῖνος ὥστ' ἐμοὶ βοηθεῖν, νεώτερος δ' ἐγὼ πολλῷ ἢ ὥστε δύνασθαι ἐμαυτῷ τιμωρεῖν ἱκανῶς.* His permotus non credo, reum summa arrogantia usum dixisse: *οἷά τε ἦν ἀποδειχθῆναι* pro eo, quod locis modo commemoratis respondens exspectamus: *οἷά τε ἦν μοι* vel *ὑπ' ἐμοῦ ἀποδειχθῆναι*, quorum ut alterutrum restituamus moneo atque hortor.

§ 94. *τούτων γὰρ ἔργον τοῦτο, ὑμῶν δὲ τὸ μὴ πείθεσθαι τὰ μὴ δίκαια. τοῦτο μὲν γὰρ ἐμοὶ π(ε)ιθομένοις ὑμῖν μεταμελῆσαι ἔστιν, καὶ τούτου φάρμακον τὸ αὖθις κολάσαι, τοῦ δὲ τούτοις π(ε)ιθομένους ἐξεργάσασθαι ἃ οὗτοι βούλονται οὐκ ἔστιν ἴασις.* Primo statim adspectu apparet, verba *τοῦτο μὲν γάρ* q. s. nullo cum antecedentibus cohaerere vinculo, cum prae-

terea frustra quaeratur, quo referenda sit particula *γάρ*. Etsi autem una quadam fortasse emendatione his tenebris lucem afferri posse negare non audeo, tamen tutius duco interim lacunam statuere, in hunc fere modum supplendam: *ὥστε καὶ πρὸς ὑμῶν εἶναι ἀποψηφίσασθαί μου νῦν*. Sed ne sic quidem locus ab omni parte recte se habet, nam sequentia: *τοῦτο μὲν γὰρ ἐμοὶ πιθομένοις ὑμῖν μεταμελῆσαι ἔστιν*, dici vix potest, quam displiceant. Nemo enim non videt, fieri potuisse, ut iudices poeniteret non minus si accusatoribus quam si defensori morem gessissent, ita ut verba: *ἐμοὶ πιθομένοις*, quae propter opposita: *τούτοις πιθομένους* abesse non licet, in tradita lectione quam maxime abundarent. Utique, si quid sentio, haec verba arte nectenda sunt cum subsequentibus, ut talis fere existat sententia: si vos olim forte mihi obsecutos esse paenitebit, statim supplicium de me sumendo, peccatum vestrum restituere poteritis. Hac difficultate, ad quam accedit, quod verba *τοῦτο μέν*, cui in sequentibus respondeant, non habent, facile adducor, ut post lacunam, quam statuo, pergam legendo: *τ ο ῦ μὲν γὰρ ἐμοὶ πιθομένοις ὑμῖν μεταμελῆσαι, ἔστι [καὶ τούτου] φάρμακον τὸ αὖθις κολάσαι, τοῦ δε* q. s. Cum librarius pro *τε* per dittographiam scripsisset *τετο*, fieri vix poterat, quin adderentur verba: *καὶ τούτου*. Quod autem ad verbi: *μεταμέλει μοι* cum Participio iuncti structuram, conferas § 91: *ἤδη δέ τισιν ὑμῶν καὶ μετεμέλησεν ἀπολωλεκόσιν*. Ceterum vide Kruegeri gr. gr. § 56. 6. 4 et Kochii § 125. 4. 2.

Nonne etiam aut utrobique aut pro altero saltem *ἔστι* scribendum *ἔσται*?

VI.

§ 4. *τοσαύτην γὰρ ἀνάγκην ὁ νόμος ἔχει, ὥστε καὶ ἄν* (lege *κἄν* cum Herwerdeno) *τις κτείνῃ τινὰ ὧν αὐτὸς κρατεῖ καὶ μὴ ἔστιν ὁ τιμωρήσων, τὸ νομιζόμενον καὶ τὸ θεῖον δεδιὼς ἁγνεύει τε ἑαυτὸν καὶ ἀφέξεται ὧν εἴρηται ἐν τῷ νόμῳ, ἐλπίζων οὕτως ἂν ἄριστα πράξειν* (cum Dobraeo lege *πρᾶξαι*). Valde vereor, ne parum recte agat Reiskius, quique eum secuti sunt editores, reponendo futurum *ἁγνεύσει* pro tradito *ἁγνεύει*. Quamvis enim sciam, in codicibus saepenumero contra talia peccatum esse et, si quo alio nostro certe loco futuri formam tam facile in praesentis *ἁγνεύει* abire potuisse, ut nostrum paene magis quam codicum sit, discernere, utra in textum recipi debeat, tamen hoc loco prae ceteris caute prudenterque diiudicandum esse puto. Adesse enim censeo praesentis et futuri, utriusque empirice usurpati copulationem, qualem etiam deprehendis Demosthenis XVIII. § 205: *διαφέρει δὲ τί; ὅτι ὁ μὲν τοῖς γονεῦσι μόνον γεγενῆσθαι νομίζων, τὸν τῆς εἱμαρμένης καὶ τὸν αὐτόματον θάνατον περιμένει, ὁ δὲ καὶ τῇ πατρίδι, ὑπὲρ τοῦ μὴ ταύτην ἐπιδεῖν δουλεύουσαν, ἀποθνήσκειν ἐθελήσει, καὶ φοβερωτέρας ἡγήσεται τὰς ὕβρεις καὶ τὰς ἀτιμίας, ἃς ἐν δουλευούσῃ τῇ πόλει φέρειν ἀνάγκη.* „At", dices, „quid impedit, quominus scribamus: *περιμενεῖ*?" En, habes eandem futuri et praesentis consociationem Euripid. Androm.. vs. 321 sqq. (ed. Nauck):

εὔκλεια δ' οἷς μὲν ἔστ' ἀληθείας ἄπο,
εὐδαιμονίζω· τοὺς δ' ἀπὸ ψευδῶν ἔχειν
οὐκ ἀξιώσω πλὴν ὅσον δοκεῖν μόνον.

et Sophocl. Ant. vs. 349 seqq. Conferas etiam Maetznerum ad *B. γ.* § 4. Ceterum hoc modo praesens, futurum, aoristum empirice adhibitum eadem uti significatione, nisi quod aoristus empiricus poeticum magis prae se fert colorem, in universum sat notum est. cf. e. g. Classenii ad Thucyd. I. 69. 5. II. 11. 4. IV. 126. 4. et Rehdanzii „Demosthenes' neun Philippische Reden" Indices pag. 48.

Non tamen equidem valde resistam, si quis futurum *ἀφέξεται* proprie explicari mavult, ut referendum sit ad tempus, quod illud *ἁγνεύειν* subsequitur. Utique in tradita lectione nihil mutandum puto.

§ 10. *οὔτε γὰρ δὴ οὗ ἡ πόλις ἐλάμβανεν ἂν δίκην εἴ τι ἠδίκητο, ἐνταῦθα τὴν κατηγορίαν ποιεῖται, ὥστε χάριτος ἄξιον εἶναι τῇ πόλει* q. s. Pro codicum lectione: *τὴν κατηγορίαν ποιεῖται* utique cum Reiskio reponendus erat pluralis numerus: *ποιοῦνται*, cf. Jernstedtii „observ. Antiph." pag. 27; sed videas, num forte rectius se habeat *πεποίηνται*. cf. e. g. § 7: *οὗτοι <μὲν> γὰρ τὴν μὲν δίωξιν εὐσεβείας ἕνεκά φασι ποιεῖσθαι καὶ τοῦ δικαίου, τὴν δὲ κατηγοριαν ἅπασαν πεποίηνται διαβολῆς ἕνεκα καὶ ἀπάτης* cett. Postquam literae ΠΕ per haplographiam exciderant, nullo iam negotio reliquiae: ΠΟΙΗΝΤΑΙ abibant in lectionem, deinde servatam: *ποιεῖται*.

§ 11. *καὶ πρῶτον μὲν διδασκαλεῖον <ἣ> ἦν ἐπιτηδειότατον τῆς ἐμῆς οἰκίας κατεσκεύασα, ἐν ᾧπερ καὶ Διονυσίοις ὅτε ἐχορήγουν ἐδίδασκον·* Statim apparet in codicum lectione ante verbum *ἦν* desiderari vocabulum quoddam, quo transitus paretur a nomine *διδασκαλεῖον* ad sequentia, quae, ut illud accuratius definire-

tur, addita sunt. Quapropter Bekkerus, praeeunte Aldo, inseruit voculam ἦ, eumque posteri editores secuti sunt. Sed tamen valde vereor, ut hoc vocabulum in pedestri oratione adhiberi liceat. Restituamus igitur, quod unice aptum videtur, scil. οὖ.

§ 24. — *εὖ εἰδότες ὅτι οὐκ ἂν τούτοις κατ' ἐμοῦ ἔλεγχος ἐγίγνετο οὗτος, ἀλλ' ἐμοὶ κατὰ τούτων ὅτι οὐδὲν δίκαιον οὐδ' ἀληθὲς ᾐτιῶντο* i. e. bene scientes sibi argumentum haec fore contra me q. s. Cum autem verba *ἐλθεῖν ἐπὶ τοῦτο τὸ δίκαιον*, quo referendum *οὗτος*, non ipsa dici possint documentum esse, sed tantummodo efficere, ut documentum existat, apparet pronomen *οὗτος* non recte se habere scribendumque potius esse: *οὕτως*.

§ 28. *ἐπίσταμαι δὲ καὶ τάδε ὦ ἄνδρες, ὅτι εἰ μὲν τούτοις ἐμοῦ κατεμαρτύρουν οἱ μάρτυρες οἱ παραγενόμενοι, αὐτοῖς ἂν τούτοις ἰσχυροτάτοις ἐχρῶντο καὶ πίστιν ταύτην σαφεστάτην ἀπέφαινον, τοὺς μάρτυρας τοὺς καταμαρτυροῦντας· τῶν αὐτῶν δὲ τούτων μαρτυρούντων, ἃ μὲν ἐγὼ λέγω, ἀληθῆ εἶναι, ἃ δὲ οὗτοι λέγουσιν, οὐκ ἀληθῆ, τοῖς μὲν μάρτυσι τοῖς* <*ἐμοὶ*> *μαρτυροῦσιν ἀπιστεῖν ὑμᾶς διδάσκουσι, τοῖς δὲ λόγοις οἷς αὐτοὶ λέγουσι πιστεύειν ὑμᾶς φασι χρῆναι, οὓς ἐγὼ εἰ ἔλεγον ἄνευ μαρτύρων, ψευδεῖς ἂν κατηγόρουν εἶναι.* Rectissime videtur Herwerdenus, praeeunte Reiskio, cum V. § 84, tum h. l. post *ἐχρῶντο* addidisse vocabulum *τεκμηρίοις*, quod ut suppleatur vehementer etiam suadent seqq.: *καὶ πίστιν ταύτην σαφεστάτην ἀπέφαινον.* Ipso autem illo orationis quintae loco simillimo permovemur, ut abiciamus vocabulum *τούτοις* in verbis: *ὅτι εἰ μὲν τούτοις ἐμοῦ κατεμαρτύρουν*, cum

et illic absit et nostro loco plane inutile abundet. Quo accedit, quod seqq.: *τοὺς μάρτυρας τοὺς καταμαρτυροῦντας* praegressum quidem esse indicant vocabulum, quo significetur contra quem testimonium dictum sit, sed non item, cui id sit utilitati.

In sequentibus vereor, ut multis placeat, quod Reiskius verbis *τοῖς μαρτυροῦσιν* interposuit pronomen: *ἐμοί*, cum, ut iam Maetznerus pag. 264 observavit, tota, quae adest oppositio, versetur inter *τῶν μαρτύρων* testimonia et accusatorum verba. Hanc ob causam Bohlmannus, cl. § 84, ubi tantum legitur: *τοῖς μὲν μαρτυροῦσιν*, delendum potius censet vocabulum *μάρτυσιν*. Sed, quominus viro doctissimo hac in re consentiamus, eo rursus retinemur, quod tum vocabulum *μαρτυροῦσιν* quidem explicandum esset per: *ταῖς τῶν μαρτύρων μαρτυρίαις*, ipsum autem vocabulum *μαρτυρίαις* propter opposita *τοῖς λόγοις, οὓς οὗτοι λέγουσιν* minime abesse licet. Equidem levi mutatione utroque loco legi malim: *τοῖς μὲν τοῖς μάρτυσιν μαρτυρουμένοις*. Nam ita: *τὰ μαρτυρούμενα* poni pro *αἱ μαρτυρίαι* notissimum est; cf. etiam praeter id, quod adnotavi ad V. § 57, *Α. γ.* § 9: *ἡμεῖς δὲ ὑμῶν δεόμεθα μὲν οὐδέν, λέγομεν δ' ὑμῖν, εἰ μήτε ἐκ τῶν εἰκότων μήτε ἐκ τῶν μαρτυρουμένων οὗτος νῦν ἐλέγχεται, οὐκ ἔστιν ἔτι τῶν διωκομένων ἔλεγχος οὐδείς.*

Deinde Cobetus Mnem. VIII. pag. 289 seq. pro intolerabili illo *διδάσκουσιν* substituendum proponit *κελεύουσιν* e V. § 84 depromptum, et defensum loco ex eadem oratione V. § 12: *ἔπειτα κελεύεις τοὺς δικαστὰς ἀνωμότοις πιστεύσαντας τοῖς μαρτυροῦσι φόνου δίκην καταγνῶναι* q. s. Herwerdenus vero utrobique haec

verba ut interpolata condemnanda iudicat; cui obtemperandum esse non puto. Nam fac, magistellum quendam V. § 84 addidisse: *ὑμᾶς κελεύουσι*, quid autem eum movere poterat, ut nostro loco adscriberet quod sensu cassum esset? At, dixerit quispiam, cum ille locus iam interpolatus esset, alius magistellus putaverit, simile quid huc esse addendum. Sed tum miros nos habet, cur inseruerit verbum ineptissimum, cum et nihil impediret, quominus voc. *κελεύουσιν* illinc mutuaretur, et semidoctorum additamenta nimia perspicuitate, non eo, quod orationem iusto obscuriorem faciant, agnosci soleant. His permotus omnino assentior Cobeto, voc. *διδάσκουσιν* corruptum non autem interpolatum iudicanti. Nec tamen opus est, ut statim reponamus *κελεύουσιν*, nam ubi quid narratur verbis, superiori cuidam loco similibus, non eadem semper, quae antea adhibita sunt vocabula usurpantur, sed hic illic et alia eiusdem notionis dicta inveniuntur. Itaque verisimilius duco, pro depravato *διδάσκουσιν* reponendum esse sive quod Bohlmannus proposuit: *δικαιοῦσιν*, sive in quod ego incidi: *ἀξιοῦσιν*.

§ 40. — *ὥστε δεινὸν δόξαι εἶναι τῇ βουλῇ, ἐπειδή μοι ἐπύθετο προειρημένον εἴργεσθαι τῶν νομίμων ὑπὸ τούτων, οὓς ἑώρων μοι τῇ προτεραίᾳ συνόντας καὶ διαλεγομένους.* Scire velim, quid editores impulerit, ut spreta Crippsiani auctoritate, Oxoniensem secuti legant: *ἑώρων* pro forma, insolentiore ea quidem sed a fideliore utique codice tradita: *ἑώρα*. Nam etsi equidem non ignoro, a scriptoribus post talia vocabula, quibus notio multitudinis insit, (ut h. l. *βουλή*) verbum eo pertinens saepissime poni in numero plurali, tamen

nullam ut codicis A lectionem *ἑώρα* deseramus idoneam causam reperio, cum praesertim, ut perfacile insolitum *ἑώρα* in pluralem *ἑώρων* abire potuit, ita difficile sit credere, solitum, quodque neminem offendat *ἑώρων* mutatum esse in *ἑώρα*.

§ 41. *σκέψασθε δὲ καί μοι μνήσθητε ὦ ἄνδρες· ταῦτα γὰρ οὐ μόνον μάρτυσιν ὑμῖν ἀποδείξω, ἀλλὰ καὶ ἐξ αὐτῶν τῶν ἔργων ἃ τούτοις πέπρακται ῥᾳδίως γνώσεσθε ὅτι ἀληθῆ λέγω. καὶ πρῶτον ἃ τοῦ βασιλέως κατηγοροῦσι καὶ διὰ τὴν ἐμὴν σπουδὴν οὔ φασιν ἐθέλειν αὐτὸν ἀπογράφεσθαι τὴν δίκην, τοῦτο δὲ κατ' αὐτῶν τούτων ἔσται τεκμήριον ὅτι οὐκ ἀληθῆ λέγουσιν.* Cum ante verba *διὰ τὴν ἐμὴν σπουδήν* subaudienda sit particula *ὅτι*, monitum velim, hunc locum prae ceteris aptum esse, quo demonstretur, quam anxie devitent Graeci vocabuli relativi repetitionem, si antecedens sententia sequenti membro paratactice annexa ipsa iam a pronomine relativo incipiat.

In sequentibus male me habet verbum *ἔσται*, pro quo facile adducor, ut restituendum putem praesens *ἐστίν*, nisi forte ita explicamus, ut orator post antecedentia: *ἀποδείξω* et *γνώσεσθε* etiam h. l. licet paulo neglegentius, futuri temporis formam intulerit pro exspectato *ἐστίν*. Contra autem § 14 restituenda videtur futuri forma *ἔξεσται* in verbis: *καὶ τούτων εἴ τι ψεύδομαι προφάσεως ἕνεκα, ἔ ξ ε σ τ ι τῷ κατηγόρῳ ἐξελέγξαι ἐν τῷ ὑστέρῳ λόγῳ ὅ τι ἂν βούληται.*

§ 45. *καὶ ἐν αὐτῷ τῷ βουλευτηρίῳ Διὸς βουλαίου καὶ Ἀθηνᾶς βουλαίας ἱερόν ἐστι, καὶ εἰσιόντες οἱ βουλευταὶ προσεύχονται, ὧν κἀγὼ εἷς ἦ, ὃς ταῦτα πράττων, καὶ εἰς τἆλλα ἱερὰ πάντα εἰσιὼν μετὰ τῆς βουλῆς, καὶ*

θύων καὶ εὐχόμενος ὑπὲρ τῆς πόλεως ταύτης, καὶ πρὸς τούτοις πρυτανεύσας τὴν πρώτην πρυτανείαν ἅπασαν πλὴν δυοῖν ἡμέραιν, καὶ ἱεροποιῶν καὶ θύων ὑπὲρ τῆς δημοκρατίας, καὶ ἐπιψηφίζων καὶ λέγων γνώμας περὶ τῶν μεγίστων καὶ πλείστου ἀξίων τῇ πόλει φανερὸς ἦ. Ad haec verba Herwerdenus Mnem. XI. pag. 230 adnotat: „semper in talibus adhibitum vidi adverbium loci, neque usquam copulam me legere memini." Et sane, iure suo vir clarissimus h. l. desiderat adverbium loci. Quod autem cum ita restituendum proponit, ut scribatur: *ἱερόν ἐστιν, οἷ εἰσιόντες*, ideo parum recte agit, quia adverbium, quod requiritur, non ad verbum *εἰσιόντες* sed potius ad *προςεύχονται* referendum videtur. Nam non dicendum est, quem locum intrantes, sed solummodo ubi loci senatores, cum magistratum ineant, vota pro rei publicae salute concipere soleant. Hinc apparet, ut opinor, unum recte dici: *οὗ εἰσιόντες.*

Aeque facile in sequentibus puto recuperari posse genuinam lectionem verborum: *ὧν κἀγὼ εἷς ἦ, ὃς ταῦτα πράττων* q. s., in quibus vocabulum *ταῦτα* ad *προςεύχονται* relatum utique iam mutandum esset in singularem *τοῦτο.* Videas autem, quaeso, num verisimilius sit, oratorem in hunc fere modum verba fecisse: ex his senatoribus et egomet unus eram, qui, utpote eadem faciens etiam cetera deorum templa intrans q. s. conspicuus eram. Hoc modo interpretantibus sufficit, commate post pronomen *ὅς* posito, mutare vocabulum *ταῦτα* in: *ταὐτά.* At animadverto iam Maetznerum in adnotatione sua critica pag. 120 legendum proposuisse: *ταὐτά*; quem tamen virum doctum idcirco laudare non possum, quod hanc coniecturam ad eum tantum finem

protulit, ut deleto articulo *ὁ* (*ὅς*), ipsa verba *ταὐτά πράττων* quam artissime iungeret proxime praegredientibus: *ὧν κἀγὼ εἷς ᾖ.*

§ 46. *καὶ οὗτοι παρόντες καὶ ἐπιδημοῦντες, ἐξὸν αὐτοῖς ἀπογράφεσθαι καὶ εἴργειν ἐμὲ τούτων ἁπάντων, οὐκ ἠξίουν ἀπογράφεσθαι.* Utrum transponendum erit: *ἐπιδημοῦντες καὶ παρόντες*, an hoc, *παρόντες*, ut prioris interpretamentum delendum est? Nam alterutrum ut vitari possit, quam maxime vereor.

§ 49. — *καὶ ἐδίδαξα ὡς χρὴ ζητοῦντας ἐπεξελθεῖν τῷ πράγματι.* Si quid sentio, pro ultimis verbis *τῷ πράγματι* reponendum erit: *τὸ πρᾶγμα*, cum voc. *ἐπεξέρχομαι* rem, quam quis persequitur, semper quarto sibi casu iunctam habeat. cf. *Α. α.* § 2: *ἡμεῖς δ' οἱ ἐπεξερχόμενοι τὸν φόνον οὐ τὸν αἴτιον ἀφέντες τὸν ἀναίτιον διώκομεν. Γ. γ.* § 6: *ἀλλὰ καὶ ἡμᾶς, οἳ τὸ τούτου μίασμα ἐπεξερχόμεθα, ἀθέμιστα καὶ ἀνόσια δρᾶν φησί.* Alibique passim.

THESES.

THESES.

I.

Soph. Oed. Tyr. vs. 938:

τί δ' ἔστι; ποίαν δύναμιν ὧδ' ἔχει διπλῆν;

Scribendum: τί δ' ἔστιν οἷον δύναμιν ὧδ' ἔχειν διπλῆν;

II.

Ibidem vs. 1518:

οἶσθ' ἐφ' οἷσιν εἶμι;

λέξεις, καὶ τότ' εἴσομαι κλύων.

γῆς μ' ὅπως πέμψεις ἄποικον.

τοῦ θεοῦ μ' αἰτεῖς δόσιν.

Pro ἄποικον lege: ἄπουρον.

III.

Platon. Protag. 314[d]:

καὶ ἡμεῖς πάλιν ἐκρούομεν, καὶ ὃς ἐγκεκλῃμένης τῆς θύρας ἀποκρινόμενος εἶπεν, ὦ ἄνθρωποι, ἔφη, οὐκ ἀκηκόατε, ὅτι οὐ σχολὴ αὐτῷ;

Legendum puto: ἐγκεκλιμένης.

IIII.

Ibidem 317[d]:

βούλεσθε οὖν, ὁ Καλλίας ἔφη, συνέδριον κατασκευάσωμεν, ἵνα καθιζόμενοι διαλέγησθε;

Restituendum est: καθεζόμενοι; quod etiam flagitatur: Phaedr. 228[e]:

ἀλλὰ ποῦ δὴ βούλει καθιζόμενοι ἀναγνῶμεν;

V.

Ibidem 319c: *ἐὰν δέ τις ἄλλος ἐπιχειρῇ αὐτοῖς συμβουλεύειν, ὃν ἐκεῖνοι μὴ οἴονται δημιουργὸν εἶναι, κἂν πάνυ καλὸς ᾖ καὶ πλούσιος καὶ τῶν γενναίων, οὐδέν τι μᾶλλον ἀποδέχονται, ἀλλὰ καταγελῶσι καὶ θορυβοῦσιν, ἕως ἂν ἢ αὐτὸς ἀποστῇ ὁ ἐπιχειρῶν λέγειν καταθορυβηθείς, ἢ οἱ τοξόται αὐτὸν ἀφελκύσωσιν ἢ ἐξάρωνται κελευόντων τῶν πρυτάνεων.*

Expungenda sunt verba: *ἢ ἐξάρωνται.*

VI.

Thucyd. III. 84. § 2:

οὐ γὰρ ἂν τοῦ τε ὁσίου τὸ τιμωρεῖσθαι προὐτίθεσαν τοῦ τε μὴ ἀδικεῖν τὸ κερδαίνειν, ἐν ᾧ μὴ βλάπτουσαν ἰσχὺν εἶχε τὸ φθονεῖν.

Iniuria verba: *ἐν ᾧ — τὸ φθονεῖν* addubitantur a Kruegero et Herwerdeno.

VII.

Lysiae XII. § 10:

ἐπειδὴ δὲ ὤμοσεν ἐξώλειαν ἑαυτῷ καὶ τοῖς παισὶν ἐπαρώμενος, λαβὼν τὸ τάλαντόν με σώσειν, εἰσελθὼν εἰς τὸ δωμάτιον τὴν κιβωτὸν ἀνοίγνυμι· Πείσων δ' αἰσθόμενος εἰσέρχεται, καὶ ἰδὼν τὰ ἐνόντα καλεῖ τῶν ὑπηρετῶν δύο, καὶ τὰ ἐν τῇ κιβωτῷ λαβεῖν ἐκέλευσεν.

Lege: *Πείσων δ' αἰσθόμενος εἰσέρχεται, καὶ ἰδὼν τὰ* <*ἐν τῇ κιβωτῷ*> *ἐνόντα καλεῖ τῶν ὑπηρετῶν δύο, καὶ [τὰ ἐν τῇ κιβωτῷ] λαβεῖν ἐκέλευσεν.*

VIII.

Legendum est:

Isocratis orat. X. § 10: *νῦν δὲ παραπλήσιόν ⟨τι⟩ ποιοῦσιν* seqq.

XII. § 97: — *ὥσπερ αἰχμαλώτους εἰληφυῖαι διελόμεναι κατεδουλώσαντο πάσας αὐτὰς καὶ παραπλήσιόν ⟨τι⟩ ἐποίησαν* q. s.

§ 203: — *ὑπολαβεῖν θ' ὡς αἰσχρόν ⟨τι⟩ ποιήσω καὶ δεινόν* q. s.

epist. II. § 15: *καὶ γὰρ ἂν ἄτοπόν ⟨τι⟩ ποιοίης* cett.

VIIII.

In altero epodon carmine Horatius festive vellicat id genus hominum, identidem vituperatum, in quod quadrat illud: *video meliora proboque, deteriora sequor.* At in lepidissima quam ad hunc finem proferentem inducit feneratorem vitae rusticae laudatione, inepte se habent vs. 37 seq:

quis non malarum, quas amor curas habet
haec inter obliviscitur?

In priore versu vitium latet sub vocabulo: *malarum.*

X.

Ibidem XVII. vs. 21 seq.:

fugit iuventas; et verecundus color
reliquit ossa, pelle amicta lurida.

Iniuria Bentleius, verbum *reliquit* false interpretatus, tentat voc. *ossa.*

XI.

Propert. IIII. 11. vs. 102:

Cuius honoratis ossa vehantur avis.

Haec verba nondum recte constituta sunt.

XII.

Tacit. ann. I. 41. (sub finem):

Orant obsistunt, rediret maneret, pars Agrippinae occursantes, plurimi ad Germanicum regressi.

Lege: orant insistunt.

XIII.

Tacit. Germ. V.:

Terra, etsi aliquanto specie differt in universum tamen aut silvis horrida aut paludibus foeda, umidior qua Gallias, ventosior qua Noricum ac Pannoniam aspicit; satis ferax, frugiferarum arborum impatiens, pecorum fecunda, sed plerumque improcera.

Iniuria Hirschfelderus perhibet, voc. *satis* ablativum esse.

XIIII.

Ibidem XIII.:

Tum in ipso concilio vel principum aliquis vel pater vel propinqui scuto frameaque iuvenem ornant, haec apud illos toga, hic primus iuventae honos; ante hoc domus pars videntur, mox rei publicae. insignis nobilitas aut magna patrum merita principis dignitatem etiam adulescentulis assignant.

Praeferenda est lectio: propinquus,

necessaria lectio: dignationem.

XV.

Cicer. Cat. mai. de senectute I. 1:

O Tite, si quid te adiuero curamve levasso,
quae nunc te coquit et versat in pectore fixa,
ecquid erit praemi?.

Iniuria adnotant commentatores, formam: *levasso* ortam esse ex *levavero.*

XVI.

Immerito Kuehnerus „Ausfuehrl. Grammatik der lat. Sprache" II. § 127. 4. pag. 519 seq. ubique discrimen statuendum putat inter participium et acc. c. Inf. in sententiis, quae dependent a verbis *videndi*, *audiendi*, *fingendi*, *faciendi* sim.

XVII.

Iniuria adnotat M. Bréal: „dictionnaire étymologique latin" pag. 85 s. v. *fanum*: „on doit supposer que la forme primitive en latin était: *fasnum*, ce qui semble conduire à *fas*".

XVIII.

Iniuria perhibet Ed. Maetznerus: „Antiphontis orationes XV." Berolini 1838. pag. 273, Antiphontem (VI § 45) docere: „Iovi atque Minervae senatores quotidie, cum curiam ingrederentur, preces adhibuisse."

XVIIII.

Ad augendam notitiam nostram de conditione, qua antiquissimis temporibus Graeci fuerint, utilissimum videtur accurate examinare vocabula, quorum radices semiticis cum graecis linguis communes sint.

XX.

Haud parvi puto interesse ad constituendam sinceram Aristotelis operum (quatenus aetatem tulerunt) lectionem, ut eius reliquiae arabice exstantes congerantur et accurate cum graeco contextu conferantur.

Simul videndum possintne hac ratione recuperari, quae, quominus graece traderentur invida aetas impedivit.